DE

M. TULLI CICERONIS

PHILOSOPHIAE STUDIIS.

COMMENTATIO PHILOLOGA,

QUAM AD AMPLISSIMUM DOCTORIS GRADUM ADIPISCENDUM

SCRIPSIT

Dr. I. KRŽANIĆ.

OENIPONTE 1896.

ZAGRABIAE 1897.
TYPIS CONSORTII TYPOGRAPHICI.

July 7 '47

DE
M. TULLI CICERONIS
PHILOSOPHIAE STUDIIS.

COMMENTATIO PHILOLOGA,

QUAM AD AMPLISSIMUM DOCTORIS GRADUM ADIPISCENDUM

SCRIPSIT

Dr. I. KRŽANIĆ.

OENIPONTE 1896.

ZAGRABIAE 1897.
TYPIS CONSORTII TYPOGRAPHICI.

LIBRI

qui mihi praesto fuerunt.

Ritter et Preller: Historia phil. Graecae et Rom. ex fontium locis contexta. (ed. II. 1878.)

Christ. Aug. Brandis: Geschichte der Entwicklungen der griech. Philosophie. (Berol. 1862.)

Ueberweg-Heinze: Grundriss der Geschichte der Philos. des Alterthums. (Berol. (1876.)

Teuffel-Schwabe: Geschichte der Röm. Literatur. (Lipsiae 1890.)

Mart. Schanz: Geschichte der Röm. Literatur. (Ivan-Müller: Handbuch.)

Krische: Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie. (Götting. 1840.)

E. Zeller: Philosophie der Griechen (III.[1] p. 574—593.)

Raph. Kühner: M. Tullii Ciceronis in philosophiam eiusque partes merita. (Han. 1825.)

C. M. Bernhardt: De Cicerone Graecae philosophiae interprete. (Berol. 1865.)

I. Guiard: De Ciceronis philosophi in cives suos meritis. (Landsbergii 1832.)

Franc. Smrčka: Quae M. Tullius Cicero de philosophia merita sibi paraverit. (Pisecae 1892.)

Dr. Carl Crome: Quid Graecis Cicero in philosophia, quid sibi debuerit quaeritur. (Jahresbericht über das königl. Gymnas. zu Düsseldorf 1854—5.)

Fr. Kleemann: Ciceros Leistungen in der Philosophie und seine Verdienste um dieselbe. (Jahresbericht über das königl. Gymnas. zu Pisek 1850—1.)

Fr. Gedicke: Ciceronis historia philosophiae antiquae. (Berol. 1815.)

I. F. Herbardt: Über die Philosophie des Cicero. (Sämmtl. Werke II.)

Fr. Maixner: Historija Rimske književnosti. (u Zagrebu 1884.)

Barzellotti: Delle dottrine filosofiche nei libri di Cicerone. (Firenze 1867.)

*

Armin Šrabec: M. Tulija Cicerona rad i život. (Zagreb 1873.)
Legeay: Marcus Tullius Cicero philosophiae historicus. (Lugduni 1845.)
Hermannus Diels: Doxographi Graeci. (Berol. 1879.)

Editione usus sum: Reinh. Klotzi: M. Tulli Ciceronis Scripta quae manserunt omnia, (Lipsiae 1875.), recognovit Wesenberg 1880. (Klotz-Wesenberg.)

PROOEMIUM.

οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι.

1.

De universae philosophiae statu apud Romanos ante Ciceronem.

Tantus est innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. (Cic. de fin. V. 18.)

Cetera litterarum genera cum iam pridem Romae vigerent sive a Graecis recepta sive a Romanis ipsis culta et conservata multique iam: alii ius civile, alii orationes suas, alii monumenta maiorum litteris mandarent, philosophiae studia diu neglecta iacuisse, nemo litteris Latinis eruditus ignorat. nam si poetam egregium excipiamus Ennium[1], qui et litteras Graecas summo studio persecutus esse et liberioris omnino de rebus divinis humanisque iudicii fuisse videtur, quippe qui Euhemeri etiam ἱερὰν ἀναγραφὴν et interpretatus et secutus sit[2], toto illo tempore, quod interfuit, inter prima litterarum Latinarum initia et Ciceronis prope aetatem, perpaucos, qui quidem commemoratione digni essent, philosophiae operam dedisse accepimus; nisi forte quis putat Accium poetam aut Pacuvium in doctrinae studiis versatos esse, quorum in fabulis aliquot locis philo-

---

[1] . . . . qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.
(Lucret. I. 117.)

[2] Cic. de nat. d. I. 42. 119. August. de civ. d. 7. 26. (27.).

sophorum sententiae reperiantur, quas illi quidem iisdem poetis Graecis, quibus fabulas quoque totas, debent.

Sapientiae igitur studii nulla fere aut pauca admodum vestigia primis illis temporibus reperimus; nam quod Cicero quodam loco[1] scribit, Pythagorae doctrinam, cum longe lateque flueret, Romam quoque permanavisse nec ad doctissimas Pythagoreorum voces suorum hominum aures clausas fuisse, coniectura aberrat. neque enim id ex epularum more, quem apud veteres Romanos viguisse „gravissimus auctor" in Originibus dixit Cato: „ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes", aut effici aut cogi potest — quod carminum potius indicium est, si quae in ore populi fuerunt — et quod ipsum regem Numam Phythagoreum a posterioribus existimatum esse adfert, id ab eis esse creditum ipse fatetur[2], qui cum aetates et tempora ignorarent, regis eius aequitatem et sapientiam, quam a maioribus suis accepissent ad Pythagoram, praestanti sapientia et nobilitate virum. deferebant, cuius auditorem Numam fuisse credebant. quin etiam, ut concedamus Pythagoreorum doctrinam Romam mature esse delatam, Romanos tamen homines illis praesertim temporibus doctrinae notionem nullam omnino habuisse arbitror studiaque doctrinae, si quae fuerint, aliquanto post aliunde esse arcessita atque expetita. Cicero enim ipse eodem loco fatetur ante Laelii aetatem et Scipionis, qui vix unum saeculum ante eum fuerunt, non reperire se quos adpellare posset nominatim. quamquam his quidem ipsis haud scio an quidquam aliud tribuere potuerit nisi propensam — sicut fuit — in philosophiam voluntatem et studium, quo et ipsi temporibus subsicivis in eius modi studiis non inviti versabantur et alios, si qui a doctrina non abhorrebant, hortabantur.

Quod si philosophiae apud Romanos tam diu neglectae causam quaerimus, multa sane occurrunt, cur ita factum sit, ut haec „vitae dux virtutisque indagatrix"[3] serissime ad eos trans-

---

[1] Tusc. d. IV. 3. 5.

[2] ibid. 1. 3. Conf. Livius. I. 18.: auctorem doctrinae eius (Numae) falso Samium Pythagoram edunt.

[3] Cic. Tusc. d. V. 2. 5.

ferretur translataque longo spatio despecta contemptaque iaceret. ac primum quidem Romani homines iam inde ab urbe condita et sui conservandi et imperii proferendi causa assidua bella gerebant nec umquam fere ab armis discedebant. quae bellica ratio facile eos incitabat, ut omnem curam studiumque in res militares conferrent, in quibus, gloria ducti, cum assidue occupati essent, non est mirum litterarum eos studia aut doctrinae non adamasse; praesertim cum noverimus, animi quadam ingenita atque insita, ut ita dicam, natura Romuli progeniem omnia consilia factaque sua ad utilitatem vitae semper direxisse in eaque tantum re elaborandum existimasse, ex qua aliquod in vita commodum existere posset. itaque eloquentiam, historiam, iuris scientiam, quae disciplinae necessariae utilesque essent, colebant illi quidem diligenter, philosophiae studium ne dignum quidem homine forti ac strenuo ducebant. quae eorum natura, quippe quae cum ipsis nasceretur, numquam sane, ne felicissimis quidem litterarum temporibus, evelli potuit. quoties enim homines nobilissimos aureae, quam vocant, aetatis, cum aut in contione aut in senatu dicerent, cognitionem doctrinae librorumque Graecorum scimus dissimulasse, vel si hoc facere non possent, otio saltem aut qua re cunque possent excusasse. cuius excusationis luculentissima exempla in Ciceronis de philosophia libris reperiuntur, qui et ipse aut iniquitate temporum aut necessitate rerum excusatum se vult, quod haec potius tractaret, quam aliquid in re publica se dignum ageret. quae invidia, quoniam honor alit artes, ut quidam dixit, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur, quantum philosophiae impedimentum fuerit, facile intellegi potest.

Deinde ipsius philosophiae status, iis praesertim temporibus, quibus a Romanis cognita est, non is fuisse videtur, qui horum contemptores, prope dixi, animos ad se adliceret. etenim, amissis celeberrimis illis vitae atque sapientiae magistris: Platone, Aristotele, aliis, in eorum manus pervenerat, qui vel in dissensionibus et rixis tempus consumerent, vel eclecticam, quam dicunt, philosophandi rationem secuti, aut omnium placita permiscerent aut quae sibi placerent, alia alias, parum sibi

constantes tuerentur. qui utrique gravitatem ipsam philosophiae et auctoritatem apud homines natura ipsa ab eius modi studiis abhorrentes magnum in discrimen periculumque adducebant.

Huc accedebat, quod ea potissimum philosophiae disciplina iam inde ab Ennianis temporibus inter Romanos divulgari coeperat, quae, cum alienius liberiusque de vita et moribus praeciperet, superstitionesque, ut aiebant qui eam sequebantur, ex animis hominum evellere studeret, et religioni videretur esse perniciosa et rei publicae periculosa. qua re permoti homines piissimi atque religiosissimi philosophiae studia vel consilio publico opprimere non dubitaverunt. exstat enim senatus consultum de philosophis et rhetoribus C. Fannio Strabone M. Valerio Messala coss. factum (161 anno ante Chr. n.), quo patres conscripti prima illa doctrinae semina, quae scriptis potissimum Ennianis sparsa iam non nullorum animos tentare coepissent, exstincta esse voluerunt[1]. quae cum ita essent, neque quisquam patrocinium „omnium artium procreatricis et quasi parentis“[2] susciperet, quid mirum philosophiam, Romanis hominibus invisam, diu neglectam iacuisse nullosque fere in urbe, cuius „dis septem placuere colles“ fautores habuisse.

Sed, cum natura insit in mentibus hominum insatiabilis quaedam cognoscendi cupiditas scientiaeque amor, omnia ista sive a natura sive a consilio profecta impedimenta prohibere non potuerunt, quo minus ad illas doctissimas voces et librorum et hominum Graecorum, quae praesertim e Graecia magna in dies magis audiebantur, Romanorum quoque aures aperirentur. insinuabat enim se, labente paulatim disciplina maiorum, etiam atque etiam omnis liberalis doctrinae scientia, quae quasi blandimentis quibusdam novitatis atque humanitatis animos hominum rudium etiam incultorumque adliciebat.

Prima igitur philosophiae semina Romae iam scriptis Ennianis sparsa erant, quae illis quidem temporibus, vigente disciplina maiorum morumque severitate, nondum periculosa esse videbantur. homines enim vere Romani omnia ista, quae

[1] Gellius Noct. att. XV. 11.

[2] Cic. de orat. I. 3. 9.

e Graecia proficiscerentur ut Graeculos ipsos, „gentem lingua magis strenuam quam factis“[1], contemnebant. fuerunt tamen iis etiam temporibus qui, praesertim liberaliter educati, ad res novas inauditasque non possent quin animum adverterent. cum autem post bellum Persei (168 a. Chr. n.) exules Achaei e patria acciti aliquamdiu in urbe et per Italiam retinerentur, multarum rerum cognitione imbuti omnique vita atque victu culti et expoliti facile non nullorum animos ad litterarum artiumque liberalium studium permoverunt, praesertim eorum hominum nobilium, quorum hospitio familiaritateque utebantur; quae enim in aliis magno opere admirabantur ipsi quoque adquirere cupiebant. quod non parum profuisse videtur, ut multi et praeclari Romani iam non solum gloria militari sed artium etiam optimarum studio excellere desiderarent. etenim non ita multo post cum Athenienses legatos Romam misissent, (156 a. Chr. n.) ne multam sibi dictam penderent, quod Oropum urbem diripuissent, illius aetatis nobilissimos philosophos tres: Carneadem Academicum, Diogenem Stoicum, Critolaum Peripateticum, pergratum eos fecisse, Cicero auctor est[2]. viris et gloria clarissimis et auctoritate gravissimis: P. Africano, C. Laelio, L. Furio aliisque multis principibus civitatis, in quibus tanta iam fuerint doctrinae studia, ut et alios homines eruditos e Graecia accitos secum palam haberent et hos tres philosophos, quorum facundiam admirati essent frequenter libenterque audirent. qui tres viri mirabili facundia praediti primi in Romanorum animis verum philosophiae amorem incenderunt brevique tempore legationis suae ita multos sibi doctrinaeque fautores conciliaverunt, ut scholas etiam palam explicarent, quibus multi et ii quidem non ignobiles frequentes interessent. quod cum Cato ille Censorius animadvertisset, cum vereretur vir vere Romanus, quorsum id evaderet, hos legatos quam primum dimittendos censuit, quoniam illo viro argumentante — Carneadem dicebat — quid veri esset, quid falsi, haud facile

[1] Liv. VIII. 22. 8.
[2] de orat. II. 37. 155.

discerni posset[1]. impetratis igitur quae postulabant, tres illi philosophi remissi sunt, sed restabat et doctrinae eorum et eloquentiae magna admiratio — nimis enim animos audientium commoverant. — denique cum Romani, Corintho deleta, Graeciam in provinciae formam redegerunt, cum immensis divitiis signorum quoque magna copia atque librorum Romam delata est, quorum amoenitatem postquam sentire coeperunt, litteras Graecas artesque magis magisque cognoscere cupiebant. Sullam certe novimus, postquam Athenas coeperit, multa Graecorum scripta, in primis Aristoteli et Theophrasti Romam deferri iussisse Lucullumque, bello Mithridatico finito, bibliothecam Graecis libris refertam Romae constituisse, in qua cum amicis de philosophia litterisque disputans quod ei temporis de re publica superesset libenter consumeret. neque ullo iam consilio prohiberi potuit, quo minus ad Romanos quoque illa bene vivendi disciplina veniret, „mater omnium bene factorum beneque dictorum“, quam illi quidem vita magis antea quam litteris persecuti essent.

Itaque litterae Graecae doctrinaeque liberales cum initio furtim quasi Romam irrepsissent, principio primi ante Chr. natum saeculi undique iam adventabant et confluebant. qua opportunitate temporum usi multi quoque philosophi Graeci ad Romanos se conferebant, a quibus liberaliter hospitio domoque excipiebantur, iam pridem enim consuetudo homines doctos secum habendi apud Scipiones Laeliosque invaluerat, hoc autem tempore ita increbuit, ut nobilissimus quisque Graecis et magistris et familiaribus uteretur, quorum ingenio doctrinaque quandoque etiam scriptis adiuvaretur vel, si necesse esset, defenderetur. Lucullum e. g. scimus Antiochi familiaritate usum esse, L. Pisonem Philodemum amicum habuisse et magistrum, M. Crassum Alexandrum Polyhistorem grammaticum, M. Pisonem Staseam, Metellum Nepotem Philagrum. Cicero ipse Diodoto et Apollonio usus est, M. Brutus Posidonium, Stratonem, Aristum secum habuit, alii alios, quos hic nominatim adferre non est in animo.

[1] Plin. Nat. Hist. VII. 30.

Inter eos homines doctos, qui praecepta philosophiae atque disciplinam Romanis tradebant, facile principem locum obtinet Panaetius, vir doctissimus omniumque illius aetatis eruditissimus, qui a P. Scipione hospitio acceptus[1] prima *Stoicae* disciplinae semina inter Romanos sparsit. quae cum tam fortiter tamque severe de vita et moribus praeciperet — id quod maximum Romanis hominibus erat — multis ea quidem probabatur, iis praesertim, qui maiorum gravitatem, constantiam, fortitudinem, morumque severitatem admirarentur imitarique cuperent. qui omnes in Zenonis porticu antiqua se virtute imbutum iri sperabant. huc accedit quod Panaetius, cum intellegeret quibus praeciperet, missis superiorum paradoxis, quae ad communem hominum usum accommodatiora essent, ea potissimum praecipiebat. itaque multi hanc disciplinam colendam sibi delegerunt veluti: Q. Aelius Tubero, C. Fannius, Laelius, Sp. Mummius, C. Blossius, P. Rutilius Rufus, Valerius Soranus, L. Aelius Stilo, Q. Mucius Scaevola, L. Lucilius Balbus, Sex. Pompeius, Ser. Sulpicius Rufus, alii. cumque sapientia Stoica, exceptis celeberrimis illis conditoribus Zenone et Cleanthe, nullos alios in Graecia viros fortissimos regendaeque rei publicae scientissimos procreasset, Romae omnes fere praeclari viri, qui ad rem publicam se contulerunt vel ex eius ludo exierunt vel magna certe ipsius admiratione tenebantur. huius disciplinae praecepta quam penitus in animos Romanorum descenderint, multi viri fortes documenta dederunt, ex quibus unum adferre sufficit, Catonem Uticensem, qui rebus omnibus desperatis, mortem sibi ipse consciscere nullus dubitavit, cuius constantiae alia sescenta exempla ex historia Romana omnium aetatum temporumque proferre non erat difficile.

Maiore etiam studio colebatur *Academia quae media* vocatur, cuius disciplina cum in utramque partem de omnibus rebus disputare posset in omnique causa duas contrarias orationes explicare[2], maxima videbatur esse dicendi exercitatio; magnam enim, ut Ciceronis verbis utar, cum hoc genere

[1] Cic. pro Mur. 31. 65.

[2] Cic. de orat. III. 21. 80.

philosophiae orator societatem habet, subtilitatem enim ab academia mutuatur et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi[1]. multi igitur, ii praesertim qui oratoria laude ducerentur, ad Philonem Larisaeum, philosophum academicum, se adplicabant, qui bello Mithridatico Romam profectus summo studio iuventutis oratoriae laudis cupidae in urbe et rhetorum praecepta et philosophorum tradebat. hanc Academicorum disciplinam inter Romanos maxime adamaverunt: M. Terentius Varro, M. Piso, C. Aurelius Cotta, L. Lucullus, L. Tubero, M. Brutus, M. Tullius Cicero, qui ei maximum splendorem scriptis suis comparavit.

Ad *Epicureorum* disciplinam, quae iam inde ab Ennianis temporibns paulatim divulgabatur, sive quod erat cognitu perfacilis in rebus plerisque, sive quod illecebris blandae voluptatis invitabantur, omnis multitudo confluebat. accedit quod haec disciplina prima litteris Latinis illustrata erat luculentissimisque versibus a T. Lucretio Caro Romanis commendata. itaque multos fautores est nancta: C. Velleium, L. Pisonem, L. Saufeium, L. Torquatum, P. Volumnium, alios multos. fuerunt etiam qui otii dulcissimi spe ad amoenissimos Epicuri hortos se conferrent, inter quos deprehendimus Papirium Paetum, M. Marium, T. Pomponium Atticum Ciceronis amicum.

Pythagoreorum postremo disciplinam, quam primam e Graecia, quae Magna dicitur, Romam permanavisse coniciunt, pauci tantum in urbe adamaverunt et quod cognitu erat difficilis nec magnam utilitatem vitae praebere videbatur. fuerunt tamen qui etiam hanc disciplinam magna diligentia studioque amplecterentur, veluti P. Nigidius Figulus, de quo Cicero scribit (Timae. 1.): „denique sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos . . . . hunc exstitisse, qui illam (disciplinam) renovaret".

Sed de philosophorum sectis, quae omnes fere ultimis rei publicae liberae temporibus Romam translatae sunt, hic plura dicere non est necesse. neque enim Romani homines umquam vehementi desiderio aut sincero amore ad philosophiam ducebantur, nec singulas Graecae philosophiae disciplinas accurate

[1] De fat. 2. 3.

atque distincte perspectas habebant, sed magnam partem quae cuique placebant, alia Stoicorum, alia Academicorum, alia Epicureorum sequebantur nullisque unius disciplinae legibus astricti quod iis esset in quaque re maxime probabile id requirebant[1]. etenim omnis philosophia Romana, si hoc verbo uti licet, ultimi ante Chr. natum saeculi *eclecticorum,* qui dicuntur, studiis nititur[2], quibus ii etiam ipsi, quos iam commemoravimus: Brutus et Varro et Cicero, verum si fateri volumus, adnumerandi erant.

Itaque quamvis iam multi Romae in his sapientiae studiis versarentur, philosophia tamen non magnos progressus habuit. praeterea homines Romani cum a Graecorum artibus disciplinisque semper quodam modo animis abhorrerent, ne illa quidem valde curabant, quae sine eruditione Graeca intellegi non possent. philosophia autem Romae Graecis et litteris et doctoribus percipiebatur, Latinis nondum inlustrata erat. itaque cum oratorum quidem laus, ut uno exemplo utar, ita ad summum venisset ut iam senesceret, brevique tempore ad nihilum ventura videretur[3], philosophia Latinis litteris nondum nata erat iacuitque neglecta nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum[4] usque ad eius viri aetatem, qui cum oratoria laude omnibusque in re publica praeclaris muneribus claruisset, novam sibi laudem excitatae philosophiae litterisque Latinis inlustratae parere instituit. quod consilium cur vir clarissimus atque eloquentissimus — M. Tullium vix opus est nominare — inierit quo modoque absolverit operae pretium videtur cognoscere. quae res quo facilius explicari perspicique possit, primum M. Tulli vitae rationes leviter adtingentes, *ipsius verbis,* quorum copiam, quam potui, persecutus sum, nobis propositum est exponere: cur ille vir illustrissimus ad philosophiam se adplicaverit quo modoque in ea sit versatus, deinde quid ille eius modi studiis effecerit vel consecutus sit in brevi conspectu ponemus. neque enim Ciceronis philosophiae scriptiones ad philosophandi

[1] Conf. Cic. Tusc. d. IV. 4. 1.
[2] Conf. Diels: Doxogr. Graeci. p. 129.
[3] Cic. Tusc. II. 3. 7.
[4] Cic. ibid. I. 3. 5.

rationes revocando iudicem se viro doctissimo praebere in animo est, aliorum id negotium, qui de M. Tulli philosophia, de fontibus ipsius fontiumque usu et accuratius et subtilius disputant. nobis in hoc certe res summas adtingere libet. quibus praedictis, iam ad propositum pergat oratio.

Pars Prior.

. . . . iuvat integros accedere fontes
atque haurire. (Lucr. IV. 2.).

2.

Cur Cicero adulescens se ad philosophiae studium contulerit.

M. Tullius Cicero natus est in villa Arpinati a. d. III. Nonas Januarias eodem quo Cn. Pompeius anno 648. a. u. c. (sive 106 ante Chr. n.) Q. Caepione Q. Serrano coss. stirpe antiquissima familia autem plebeia, ex qua nondum quisquam ad amplissimos populi Romani honores ascenderat[1]. patrem habuit M. Tullium Ciceronem, virum prudentissimum filiorumque amantissimum, matrem Helviam. hi non ita multo ante bellum Italicum, ut Cicerones suos Marcum et Quintum fratrem 3 vel 4 annos minorem natu omnibus, quibus tum iuventus Romana imbui solebat, liberalibus artibus facilius erudirent, Romam se contulerunt. pater praesertim ardentissime cupiebat ut adulescentium animi optimis studiis artibusque excolerentur[2]. itaque litteris elementariis et calculo imbutos praestantissimis viris erudiendos tradidit: L. Plotino, Q. Mucio Scaevolae auguri, eoque mortuo, Q. Mucio Scaevolae Q. f. Pontifici aetatis illius iuris peritissimo, „qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat“[3] amicitia quoque Marci cum A. Licinio poeta in hoc tempus

[1] Cic. Brut. 16. 62., de leg. agr. II. 1. 1.
[2] Cic. de orat. II. 1. 1.
[3] Cic. Brut. 89. 306.

cadit, quem ille postea luculentissima oratione defendit. is Ciceronem ad poeticen instituisse videtur, quam ille quidem iuvenis etiam adtingerat neque toto tempore vitae suae penitus despexit, immo „ne quod genus laudis praetermitteret“ poemata subsicivis temporibus maturior etiam aetate componebat, in quibus tamen suam eum eloquentiam destituisse versificatoremque meliorem quam poetam fuisse, graves et fide digni testes exstant[1] reliquiaeque ipsae, quae omnes fere in ipsius scriptis reperiuntur, praeclaro testimonio sunt.

Sed, ut iam ad rem ipsam veniamus, pater filios Marcum et Quintum ad L. quoque Crassum deduxit, qui eloquentiae principatum eo tempore tenebat „ut ea discerent, quae illi placerent, *et ab iis doctoribus, quibus ille uteretur, erudirentur*“[2]. quod consilium quale fuerit, ne in re parva multi simus, omittamus, illud certe adfirmare possumus, hunc cum viro disertissimo atque doctissimo domesticum usum et consuetudinem valde profuisse ut Ciceronis adulescentis animus non solum ad omnia praeclara litterarum sed doctrinae etiam scientiarumque studia inclinaretur. etenim cum domi eius cum Quinto fratre esset, ut quod ipse narrat proferam[3], illud etiam saepe intellexit, quod vel puer sentire poterat, illum et *Graece sic* loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus suis ea ponere in percontando eaque ipsum omni in sermone tractare, *ut nihil esse ei* novum *nihil inauditum* videretur. quo et qualis esset opinio eorum cognovit qui, ut iuvenem bonae spei, incensum scientiae studio, deterrerent, Crassum non plus attigisse doctrinae praedicarent, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset, et quid sibi faciendum esset intellexit, ut tanto viro similis existeret. ad idem enim vitae genus, quod Crassus susceperat quodque ad summam in re publica auctoritatem adipiscendam unum erat atque honestissimum, ut omnes

---

[1] Sen. de ira 3. 37. 5., Tacit. dial. 21. Juv. 10. 124. Mart. 2. 89. 3.: „Carmina quod scribis Musis et Apolline nullo — laudari debes: *hoc Ciceronis habes*“. Drumann G. R. VI. 681.

[2] Cic. de orat. II. 1. 2.

[3] Ibid. 1. 1.

alios ita Ciceronem quoque praeter praeclarum illud, quo praestabat, ingenium amplissima etiam, quae eloquentiae: vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem proposita erant praemia magno opere excitabant[1]. quibus permotus cum nemo fere laudis cupidus adulescens non sibi ad dicendum summo studio enitendum putaret[2] cumque in urbe nulla vehementius quam eloquentiae studia vigerent, quid mirum, Ciceronem quoque, quem laudis nimis avidum fuisse dicunt, eo impendere laborem instituisse, unde emolumentum atque honos speraretur, ad dicendumque se potissimum contulisse.

Sed quoniam tantum virum, ut ad Crassum revertamur, qui principem tum inter oratores locum facile obtineret, non solum a doctrina non abhorrere videbat, sed Graecis etiam et litteris et doctoribus uti, ipse in dies magis magisque id cognoscebat, quod ei postea persuasum erat: *et ad liberale ingenium excolendum et ad oratoriam laudem adipiscendam pernecessariam esse philosophiae cognitionem.* quam ille opinionem postea in iis quos de re publica scripsit libris his ipsis verbis expressit (III. 3. 5.): „quod si quis ad ea instrumenta animi, quae natura quaeque civilibus institutis habuit, *adiungendam sibi etiam doctrinam* et uberiorem rerum cognitionem putavit ... nemo est quin eos anteferre omnibus debeat“. atque paulo post (§. 6): „qua re qui utrumque voluit et potuit, id est, ut cum maiorum institutis *tum doctrina* se instrueret, ad laudem hunc omnia consecutum puto“. quod planius etiam, si est necesse, aliis locis dicit, veluti in eo libro qui de oratore inscribitur, ubi, enumeratis aliis rebus, quae ad eloquentiam pertineant, haec addit (I. 6. 20.): „ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, *nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus.* etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio“. atque alio loco: (II. 1. 5.): „illud autem est huius institutae scriptionis ac temporis, *neminem eloquentia non modo sine dicendi*

---

[1] Conf. Cic. Mur. 14.: „Due sunt artes, quae possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis una imperatoris altera *oratoris boni*“.

[2] Cic. de orat. I. 4. 4.

doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia florere unquam et praestare potuisse". „quid dicam", scribit in Bruto suo (29. 111.), „*opus esse doctrina?* sine qua etiam si quid bene dicitur adiuvante natura, tamen id, quia fortuito fit, semper paratum esse non potest". atque in Oratore adfirmare non dubitat (IV. 14.): „positum sit igitur in primis, quod post magis intelligetur, *sine philosophia non posse effici, quem quaerimus eloquentem;* non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adiuvet ut palaestra histrionem — parva enim magnis saepe rectissime conferuntur — nam nec latius neque copiosius de magnis varisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere".

Non erat difficile ex oratoriis libris alia exempla proferre, quibus identidem philosophiae cognitio magno opere commendatur eiusque et vis et necessitas ad perfectum oratorem efficiendum praedicatur, sed necessarium non videtur esse; satis enim planum factum est ex iis etiam quae iam adtulimus M. Tullio persuasissimum fuisse: neminem sine philosophiae cognitione bene nec ornate dicere posse litterisque et doctissimorum hominum artibus perfectae eloquentiae fontem contineri[1].

Itaque iuvenis discendi cupidissimus, sumpta virili toga, non solum Crassum, qui eius animum primus ad doctrinae studium concitasse videtur, aliosque qui tum principes numerabantur oratores omnes: Antonium, Sulpicium, Cottam, frequentissime in contionibus audiebat, sed domi etiam acerrimo studio tenebatur, multumque et vigilabat et laborabat; sed cotidie et scribens et legens et commentans oratoriis tantum exercitationibus contentus non erat. quoniam enim, ut ad speratam eloquentiae laudem aliquando perveniret, sapientiae cognitionem sibi necessariam esse e philosophorumque scholis homines tales evadere persuasum habebat, eam adulescens oratoria laude ductus consequi animum induxit ad philosophosque se contulit.

Quod consilium, quamvis apertior in dicendo fuerit Tullius, nusquam sane apertissime expressit, sed et ex iis quae de

---

[1] Conf. Brutus. 43. 161.; 93. 322.; pro Arch. VII. 15.: „atque idem ego hoc contendo, cum ad naturam eximiam et illustrem accesserit ratio quaedam coformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere".

necessitate doctrinae ad oratoriam laudem consequendam protulimus facillime intellegitur, et verbis ipsius, quae ad posteriora referuntur philosophiae studia, non obscure significatur. scribit enim satis clare (div. in Caec. XIII. 41.): „ego, qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his studiis laboribusque consumam, *quo paratior ad usum forensem, promptiorque esse possim*“, atque alio loco (pro Arch. VI. 13.): „atque hoc adeo mihi concedendum est magis *quod ex iis studiis haec quoque crescit oratio et facultas*“. sed quid ego haec atque talia colligo, cum ipse de sese aliquot locis planissime dicat (orat. III. 12.): „et fateor *me oratorem,* si modo sim aut etiam quicunque sim, *non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse*“. (de legib. I. 24. 63.): „deinde facio et libenter et, ut spero, recte, quod eam, cuius studio teneor (philosophiam) *quaeque me eum, quicunque sum effecit,* non possum silentio praeterire“. (ad Quint. fr. I. 1. 28.): „non enim me hoc iam dicere pudebit . . . . *nos ea, quae consecuti sumus, iis studiis et artibus esse adeptos, quae sint nobis Graeciae monumentis disciplinisque tradita*“.

Non igitur philosophia ipsa, quamvis pulchra videretur et magnifica, animus Ciceronis adulescentis movebatur, sed quod sibi persuaserat, sine doctrinae optimarumque artium scientia neminem fieri posse eloquentem, ea causa fuit, cur M. Tullius iam inde ab ineunte adulescentia ad philosophiam animum adpulerit. quod magis quam verba res ipsa totiusque vitae cursus declaravit. sed priusqum ad haec progrediamur, quos philosophos Cicero audierit dicendum esse videtur.

3.

De Ciceronis philosophiae praeceptoribus.

Ac primum quidem Cicero, puer etiam, *Phaedro* Epicureo operam dedit, philosopho illius temporis nobilissimo, qui tum Romae Epicureorum disciplinam magno concursu explicabat. erat is vir bonus et suavis et officiosus, de quo Cicero in iis libris,

quos de natura deorum scripsit, Cottam haec loquentem facit (I. 33. 93.): „nam Phaedro nihil elegantius, nihil humanius". huius disciplina adulescens usus est antequam Philonem cognovit valdeque eum ut philosophum probabat. scribit enim ipse (ad fam. XIII. 1. 2.): „et iam a Phaedro, qui nobis, *cum pueri essemus,* antequam Philonem cognovimus, valde ut philosophus . . . . probabatur, traditus mihi commendatusque est". nam postea Tullium Epicuri philosophiam vehementer improbasse multisque locis reprehendisse, omnes fere libri, quos de philosophia scripsit, testes sunt, in quibus identidem ita in eius philosophiam invehitur, ut tecta etiam quaedam calumniandi ratio hominibus doctis e verbis Romani perlucere videatur[1]. sed hoc utcunque est iterum Phaedrum audivit, cum Athenis cum Attico esset; huc enim referuntur quae legimus (de fin. I. 5. 16.): „nisi mihi Phaedrum, inquam, mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, cum mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent, omnes mihi Epicuri sententiae satis notae sunt, atque eos quos nominavi, cum Attico nostro frequenter audivi". erat enim Atticus, ut scimus, Epicureus homo Ciceroni unus omnium familiarissimus, cuius gratia — simul enim Athenis erant — Tullius in Phaedri hortos devertisse videtur. atque multis etiam annis post Ciceronem huius Epicurei libros lectitasse vel ex iis intellegi potest quae 45 anno ante Chr. n. ad eundem Atticum scripsit (XIII. 39.): „libros mihi, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas, et maxime Φαίδρου περὶ θεῶν et περὶ Παλλάδος". fuerunt etiam et haud scio an nunc quoque sunt, qui Ciceronem in primo de natura deorum his libris esse usum dicerent, eosque aliquot locis interpretatum[2]; sed haec alia quaestio est, quam nos in medio relinquemus, ad alium philosophum, quo Cicero adulescens est usus, Philonem academicum transeamus.

Philo Larisaeus, Clitomachi auditor et successor, quo vivo Academiae patrocinium non defuit[3], cum, bello Mithridatico,

[1] Conf. Diels „Doxogr. Graec." p. 125.
[2] Ueberweg-Heinze „Grundriss" p. 260.; Diels ibid. p. 121.
[3] Cic. Acad. II. 6. 17.

cum optimatibus Atheniensium aliisque, qui cum Romanis faciebant, domo profugisset, philosophiam Romae docere instituit. qui cum et philosophorum praecepta traderet et rhetorum, multi et ii quidem non ignobiles iuvenes dicendi gloriae cupidi ad eum se conferebant, inter quos Ciceronem quoque iuvenem reperimus, cuius animum mirum quam ad philosophiam concitasse videtur. narrat enim ipse (Brut. 89. 306.): „eodem tempore, cum princeps Academiae Philo . . . . Romam venisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus“. huius se philosophi scholis frequenter interfuisse scribit (Acad. I. 4. 13.): „quamquam Antiochi magister, Philo, magnus vir, ut tu existimas ipse, negat in libris, quod coram etiam ex ipso audiebamus, duas Academias esse“. atque in iis libris qui sunt de natura deorum, cum nec subito se coepisse philosophari dixisset nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsisse, sic pergit (I. 3. 6.): „quod et orationes declarant refertae philosophorum sententiis et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, et principes illi: Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius“. Atque de Philone quidem diximus.

Diodotus autem homo erat, Ciceronis iudicio, Stoicorum eruditissimus[1], apud quem praecepta et disciplinam Stoicam ediscebat. is cum domi Ciceronis tot annos viveret[2], omni doctrina eruditus praestantique litterarum scientia ornatus multis adulescentem, qui optimam spem ostenderet, variisque artibus erudiebat et, cuius rei Stoici studiosissimi semper erant, in dialectica diligentissime exercebat. qua de re verba enim ipsius proferre praestat — in Bruto suo apertissime dicit (90. 309.): „eram cum Stoico Diodoto, qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus. a quo cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebar, quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est“. hunc praeceptorem Cicero se a puero et dilexisse et admiratum esse alio loco testatur (Acad. II. 36. 115.): „Diodoto quid faciam,

[1] ad fam. XIII. 16. 4.

[2] Cic. Tusc. d. V. 39. 13.

Stoico, quem a puero audivi? qui mecum vivit tot annos? qui habitat apud me? quem et admiror et diligo?“ quod quam gratum fuerit Diodoto quamque iucundum, illud etiam declaravit, quod moriens heredem sibi Tullium fecit, reliquitque ei HS fortasse centiens[1]. quae non parva pecunia illis praesertim temporibus fuisse videtur.

Atque his quidem philosophis Cicero Romae domique suae operam dederat, ut alios, qui tum principes erant, audiret, in Graeciam est profectus. iam pridem enim mos et consuetudo invaluerat, ut iuvenes Romani, nobilissimus quisque, quasi in Academiam artium animi excolendi causa Athenas proficiscerentur. itaque Tullius quoque, qui litterarum studio vehementer traheretur, mare transiit, ut sedem eam patriamque omnium studiorum atque artium nobilissimam inviseret. quod sive fecit, ut consuetudinem dicendi mutaret, ut ipse narrat[2] — nam omnia summa vi vocis et totius corporis contentione dicebat — sive, ut e conspectu Sullae profugeret, in cuius libertum quendam in iudicio nimis acriter dixisset, ut alii memoriae prodiderunt[3], ut philosophos etiam illius temporis nobilissimos audiret, certe in Graeciam transisse putandus est. nam ipse in Oratore suo apertissime dicit (24. 146.): „ego semper me didicisse prae me tuli. qui enim possem, cum et afuissem adulescens et *horum studiorum causa mare transissem* . . . dissimulare me didicisse?“

Ac Phaedrum quidem et *Zenonem* Tullium, cum Athenis esset, audivisse, supra scripsimus, quorum de priore eodem loco dictum est, de altero ipse in primo, qui est de natura deorum prodit (21. 59.): „Zenonem, quem Philo noster coryphaeum appellare Epicureorum solebat, cum Athenis essem, audiebam frequenter“. Atque in Tusculanarum disputationum libro tertio (17. 138.): „hoc dicit et hoc ille acriculus me

[1] Conf. ad Att. II. 20, 6.

[2] Brut. 91. 313.

[3] Plut. Cic. 3. δεδιὼς δὲ τὸν Σύλλαν ἀπεδήμησεν εἰς τὴν Ἑλλάδα. Conf. Niebuhr: „Vorträge üb. röm. Gesch.“ III. p. 47.: „seine Freunde riethen ihm Rom zu verlassen, damit Chrysogonus ihn vergessen möchte“.

audiente Athenis senex Zeno, istorum acutissimus, contendere et magna voce dicere solebat".

Sed multo magis quam hic „princeps Stoicorum[1]" *Antiochus* Ascalonita, Philonis in Academia successor, animum Ciceronis adulescentis commovit. missis enim Academicorum, ut dicebantur, novorum rixis et nugis, is ad veterem Academiam reversus erat, ita tamen, ut eclecticorum — licet enim hoc verbo uti — philosophandi rationem secutus et Stoicorum et Peripateticorum placita coniungeret cum Academicis[2]. hoc igitur auctore et doctore Cicero philosophiae studium a prima adulescentia cultum renovavit: „cum venissem Athenas", scribit in Bruto (91. 315.), „sex menses cum Antiocho veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho fui studiumque philosophiae nunquam intermissum a primaque adulescentia cultum et semper auctum hoc rursus summo auctore et doctore renovavi". atque in libris de finibus (V. 1. 1.): „cum audissem Antiochum, Brute, ut solebam, cum M. Pisone, in eo gymnasio, quod Ptolomaeum vocatur". huius Stoici auctoritatem apud Marcum Tullium plurimum valuisse ex ipsius verbis patet (Acad. II. 35. 113.): „vos negatis, Antiochus in primis, qui *me valde movet,* vel quod amavi hominem, sicut ille me, vel quod ita iudico, politissimum esse et acutissimum omnium nostrae memoriae philosophorum". atque in libris de legibus (I. 21. 54.): „vir iste (Antiochus) fuit ille quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus mihique, ut scis, familiaris". „sequor igitur", scribit in iis libris, quibus Academicorum secta defensa est (II. 30. 98.), „eas vias, quas didici ab Antiocho"; et secutus est hunc in Academicis prioribus (6—18) et in quinto, qui est de finibus, ut a viris doctis est demonstratum[3].

Iam vero Tullius, tota Graecia Asiaque, in quam Athenis se contulerat, peragrata, cum Rhodum venisset, ut ad eundem se, quem Romae audivisset, Molonem, virum prudentissimum et actorem in veris causis et scriptorem praestantissimum,

[1] de fin. III. 2. 5.
[2] Conf. Ritter et Preller p. 49.
[3] Conf. Madvigius ad Cic. de fin. p. 853.

aliquamdiu adplicaret, *Posidonium* quoque Apamiensem, philosophum Stoicum, qui tum Rhodi vivebat, audire non omisit. qui cum orationi in philosophia non nihil tribueret, a Cicerone valde probabatur, quin etiam magistrum eum adpellatum a Tullio legimus (de fat. 3. 5.): „quaedam etiam Posidonius — pace *magistri* dixerim — comminisci videtur“. „At non *noster Posidonius*“, scribit alio loco (Tusc. d. II. 25. 61.), „quem et ipse saepe vidi et dicam quod solebat narrare Pompeius“. ad eundem Posidonium referuntur quae (60 anno a. Chr. n.) Attico scripsit (ad Att. II. 1. 2.) „Quamquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius se, nostrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum“. atque haec quidem de philosophiae praeceptoribus, quibus se usum esse *Cicero ipse* scriptum reliquit.

4.

Quo modo Cicero in philosophiae studio versatus sit ante priorem, quem dicunt, triumviratum.

M. Tullium iam inde ab ineunte adulescentia philosophiae multum studuisse in eoque studio non mediocrem operam consumpsisse et res, quod tam multis tamque nobilibus philosophis est usus, declarat et ipse identidem planissime apertissimeque narrat. quae verba proferenda videntur. scribit igitur in iis libris, qui sunt de natura deorum (I. 3. 6.): „nos autem nec subito coepimus philosophari, *nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus*“. (pro Mur. 29. 61.): „fatebor enim, Cato, me quoqe *in adulescentia* diffisum ingenio meo, *quaesisse adiumenta doctrinae*“. (Tusc. d. V. 2. 5.): „sed et huius culpae et . . . . omnis a philosophia petenda correctio est; *cuius in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset*“. (Brut. 91. 315.): „studiumque philosophiae nunquam intermissum *a primaque adulescentia cultum* et semper auctum . . . .

renovavi". (de orat. I. 1. 2.): „neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, *quibus a pueris dediti fuimus* celebrandas". (ad fam. VI. 12. 5.): „sed est unum perfugium doctrina et litterae, *quibus semper usi sumus*". (de fat. 1. 2.): „nam cum essem in Puteolano Hirtiusque noster, isdem in locis, vir nobis amicissimus et his studiis *in quibus nos a pueritia viximus*, deditus, multum una eramus". (de off. II. 1. 4.): „*in his studiis ab initio versatus aetatis* existimavi honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam rettulissem, *cui cum multum adulescens discendi causa temporis tribuissem* . . . ." (de re p. I. 4. 7.): „is enim fueram, cui cum liceret aut maiores ex otio fructus capere quam ceteris, propter variam suavitatem studiorum, *in quibus a pueritia vixeram*". (ad fam. I. 7. 10.): „scribo tamen, ut te admoneam, quod ipse *litteris omnibus a pueritia deditus* experiendo tamen magis quam discendo cognovi". (ad fam. IV. 4. 4.): „nam etsi *a prima aetate* me omnis ars et doctrina liberalis et *maxime philosophia* delectavit tamen . . . ." „at vero ego", scribit de adulescentia sua in Bruto (90. 308.), „hoc tempore omni noctes et dies *in omnium doctrinarum* meditatione versabar".

Ex his, quae iam protulimus, facile opinio oritur Ciceronem philosophiae studium incenso ac flagranti animo exercuisse acriusque quam aut concessum erat Romano aut necessarium oratori hausisse. quae suspicio cum ipsius verbis mire consentire videtur: „*totum ei* (Philoni) *me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus,* in quo hoc etiam commorabar attentius, quod etsi rerum, ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur" (Brut. 89. 306.). neque enim, cum Marianae et Sullanae partes illis temporibus acerrime digladiarentur in armisque civilibus res publica esset omnino nulla, locus iudiciorum aut ullius auctoritatis relictus erat, ubi homo disertissimus ingenio suo uteretur voluntatemque aut iudicum aut populi quo vellet moveret, vis sola et in foro et in curia valebat. quae res quamvis Ciceronis

animum, qui nunquam ab eius modi studiis abhorrens fuerit, ad philosophiam valde commoverit, a sperata tamen dicendi gloria tantum abfuit ut amoveret, ut his studiis deditus cotidie in exercitationibus oratoriis versaretur. scribit enim, ut ipsius verba proferam, in Bruto (90. 309.): „huic ego doctori (Diodoto) et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, *ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset*". semper enim Tullius in hac re una maxime et elaborabat et enitebatur in umbraculisque scholae multum desudabat, ut oratoriam laudem consequeretur. nam vitam ille civis fortis et strenui, qui omnia praeclara, quae in re publica proposita sunt, munera ut consequatur enititur, vitae philosophi longe anteponebat, qui in studiis litterisque sibi potissimum librisque suis vivit. „etiam si cui videbitur", exclamat in iis libris quos cum gubernacula rei publicae tenebat scripsit, (de re p. III. 3. 6.) „illa in optimis studiis et artibus quieta vitae ratio beatior, *haec civilis laudabilior est certe et inlustrior*". atque aliis locis veluti (de re p. I. 2. 2.): „virtus in usu sui posita est, *usus autem eius est maximus civitatis gubernatio* et earum ipsarum rerum, quas isti (philosophi) in angulis personant reapse, non oratione perfectio", (de re p. I. 2. 3.): „equidem quem ad modum, ‚urbis magnas atque imperiosas', ut appellat Ennius, viculis et castellis praeferendas puto, sic eos, qui his urbibus consilio atque auctoritate praesunt, iis, qui omnis negotii publici expertes, *longe duco sapientia ipsa esse anteponendos*. et quoniam maxime rapimur ad opes augendas generis humani studemusque nostris consiliis et laboribus tutiorem et opulentiorem vitam hominum reddere et ad hanc voluntatem ipsius naturae stimulis incitamur, *teneamus eum cursum, qui semper fuit optimi cuiusque,* neque ea signa audiamus, quae receptui canunt, ut eos etiam revocent, qui iam processerint".

Haec Cicero iuvenis cum persuasum sibi haberet, omne illud tempus, quod fuit, ante quam ad magistratus remque publicam accessit, in studiis et litteris et utilissimis exercitationibus consumpsit, ut orator disertus in lucem fori aliquando prodiret. quod ei, tempore procedente, non parvum fructum

diligentiae rettulit. nam omnibus ornamentis eloquentiae praeditus omnique doctrina bene instructus cum in forum venisset, ad maiores atque nobiliores causas adhiberi est coeptus celerrime. gravis enim et doctus iuvenis prima causa privata pro Quinctio dicta (80. a. Chr. n.) vix 26 annos natus ad publicam pro Sex. Roscio accessit, quae ab eo magno cum clamore dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla esset amplius quae non digna eius patrocinio videretur[1]. nam praeterquam quod orator ille quidem erat praestantissimus, adsiduitate etiam et industria ceteros longe superabat. et, quod ad conciliandos hominum animos maxime valet, ita in foro causisque versabatur, ut quam plurimos defenderet, accusaret neminem, uno illo „depeculatore aerarii, vexatore Asiae atque Pamphyliae, praedone iuris urbani, labe atque pernicie provinciae Siciliae“[2], Verre excepto, quem cum accusaret, multos tamen mortales defendere ac manere prope modum in instituto suo neque a defendendis hominibus sublevandisque discedere videbatur. fuit etiam in Tullio exquisitius quoddam atque minime vulgare orationis genus, quod animos hominum dicendi quadam novitate adliciebat et ad se convertebat[3]. quae cum ita essent, quis mirabitur Marcum Tullium pro ea qua erat industria diligentia, probitate integritate, multos amicos multosque fautores nanctum esse in tantumque favorem apud universum populum Romanum venisse, ut omnes deinceps gradus honoris, quaesturam et aedilitatem et praeturam incredibili populi omniumque bonorum voluntate obtineret. et, quem locum nobilitas praesidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, consulatum Tullius, homo novus, perlongo intervallo primus rescidit[4] perfecitque, quantum in eo fuit, ut in posterum virtuti pateretur. sed in

[1] Conf. Cic. Brut. 91. 313.

[2] Conf. Cic. Verr. act. I. 1. 2., act. II. 4. 10. — Es ist uns auffallend wie viele er zu vertheidigen unternahm: er hat aber auch Leute vertheidigt, für die ich nicht ein Wort reden, sondern die ich auch anklagen möchte, das war in vielen Fällen aus seiner schönen Seele zu erklären (Niebuhr: „Vorträge“ III. p. 19).

[3] Cic. Brut. 93. 321.

[4] Cic. de leg. agr. II. 1.

his amplissimis honoribus quem ad modum se gesserit, quid de libertate rei publicae, de auctoritate senatus, de concordia ordinum meruerit, nihil sum dicturus, tantum adfirmare licet, qui in maximis periculis civitatis nefarium Catilinae bellum compressisset suis consiliis atque vigiliis urbemque ipsam e ferro et flamma eripuisset, eum non immerito „parentem patriae“ esse adpellatum[1].

Sed, ut ad rem revertamur, toto hoc tempore Cicero, dum forensibus operis et laboribus, dum cura procurationeque quadam rei publicae tenebatur, in agendo sibi. non in philosophando operam ponendam ducebat omnesque curas cogitationesque suas in rem publicam conferebat; ita vitam suam instituendam putabat, ut ne quid privatis studiis de re publica detraheret. „ego autem“, dicit ipse in libris quos de officiis scripsit, (II. 1. 2.) „quamdiu res publica, per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, *omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam*“. Atque in libris Academicis (II. 2. 6.): „cum fungi munere debebamus, non modo *operam nostram nunquam a populari coetu removimus,* sed ne litteram quidem ullam fecimus nisi forensem“. neque tamen Tullius, quamvis totum se rei publicae dedisset, hoc tempore omni doctrinae studium litterarumque penitus neglexisse putandus est. nam quantum temporis a publico officio et munere vacabat, id omne vir optimis artibus eruditus his studiis tribuebat. quod ipse aliquot locis planissime dicit veluti (Acad. I. 3. 11.): „ego autem — dicam enim, ut res est — dum me ambitio, dum causae, dum rei publicae non solum cura, sed quaedam etiam procuratio multis officiis implicatum et constrictum tenebat, haec inclusa habebam, et ne obsolescerent, *renovabam cum licebat,* legendo“, (pro Arch. VI. 13.): „qua re quis tandem me reprehendat aut quis mihi iure suscenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribunt tempestivis conviviis, quantum denique alveolo, quantum pilae, *tantum mihi egomet ad haec studia*

[1] Iuven. Sat VIII. 243.

recolenda sumpsero. atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque crescit oratio et facultas, quae quantacumque in me est numquam amicorum periculis defuit". (de nat. d. I. 3. 6.): „nos autem .... *cum minime videbamur tum maxime philosophabamur*". (ad Att. I. 20. 7.): „ego autem cotidie magis, *quod mihi de forensi labore temporis datur, in his studiis conquiesco*". (div. in Caec. XIII. 41.): „ego, qui *omne tempus,* quod mihi ab amicorum negotiis datur, *in his studiis laboribusque consumam*". (de off. II. 1. 4.): „postea quam honoribus inservire coepi meque totum rei publicae tradidi, *tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae temporibus;* id autem omne consumebatur in legendo, scribendi otium non erat".

Quae verba ultimo loco protulimus, nondum Ciceronem de scribendis de philosophia libris cogitasse, aperte declarant. quod autem, si quid temporis superfuisset, in his studiis se consumpsisse dicit, id ea de causa fecisse ex omnibus quae supra diximus patet, „quo paratior", ut ipsius verbis utar, „ad usum forensem promptiorque esse posset"[1], sine philosophandi aut consilio aut voluntate. quamquam delectationis etiam causa philosophorum eum libros lectitasse non est cur negemus, cum ipse scribat (ad fam. VI. 12. 5.): „quae *secundis rebus delectationem* modo habere videbantur". atque alio loco (ibid. IX. 2. 5.): „modo nobis stet illud: una vivere in studiis nostris, *a quibus antea delectationem modo* petebamus"[2]. at enim vero aetatem in eius modi studiis consumere, nefas ille quidem homini Romano quamdiu in omni actione atque administratione rei publicae florere studebat et duxit et habuit. quod nisi exortae essent tempestates turbulentissimae, nunquam sane Tullius a re publica recessisset nec in philosophiae portum confugisset. nam in ipsa perturbatione rei publicae cum ὁμολογουμένως τυραννὶς συνεσκευάζετο, ut ipsa verba sicuti Cicero ponam[3], ad Atticum aperte scribit (I. 20. 3.): „*a curia autem*

[1] div. in Caec. XIII. 41.
[2] conf. ad fam. IV. 3. 3.; IV. 4. 4.
[3] ad Att. II. 17. 1.

nulla me res divellet, vel quod ita rectum est, vel quod rebus meis maxime consentaneum, vel quod a senatu quanti fiam minime me poenitet“. quamquam quae iam 67 a. Ch. n. ad eundem Atticum scripserat (I. 11. 3.): „libros vero tuos cave cuiquam tradas. nobis eos, quem ad modum scribis, conserva. summum me eorum studium tenet, *sicut odium iam caeterarum rerum:* quas tu incredibile est quam brevi tempore quanto deteriores offensurus sis, quam reliquisti“, speciem quandam animi praesentientis suspicionemque impendentis tempestatis habentis prae se ferre videntur[1]. sed ad alia quae sunt consecuta progrediamur.

5.

Cicero ad philosophiam confugiendi consilium capit.

Quod vitae genus Cicero suscepisset, quem ad modum, omnibus aliis rebus posthabitis, ad amplissimos populi Romani honores ascendisset, paucis, quantum necessarium videbatur esse, superiore parte est dictum. quos omnes honores vir magno liberoque animo adfectus, cum magnifice et honorifice percucurrisset, ipse sibi quodam modo adsentabatur confisusque conscientia et factorum et consiliorum suorum otio honestissimo se frui posse putabat. sed varii sunt ac mutabiles casus fortunae atque multo citius et minore sonitu quam quisquam putarat orbis ille in re publica est conversus. etenim amplissimis perfunctus honoribus, cum ad summam gloriam et apud populum et apud senatum pervenisse videretur cumulataque iam esse officia vitae, in medium rerum omnium certamen devenit. paulo enim post consulatum, dum illud tempus omne iis fluctibus obicit, qui per eum a communi re depulsi, in eum ipsum redundabant, incidit repente in ipsam perturbationem atque conversionem rei publicae. nam tres illi principes civi-

[1] Conf. ad Att. I. 10. 4.: „Bibliothecam tuam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris; nam ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem“.

tatis: Cn. Pompeius, M. Crassus, C. Caesar (60 anno an. Chr. n.) coitionem fecerunt, quam rerum scriptores priorem triumviratum adpellant. qua facta omnis potestas a senatu non ad populum sed ad hos tres homines immoderatos „dynastas“ ac „reges“[1] devenit, qui cum soli omnia possent, res publica paene tota periisse videbatur.

In his igitur angustiis temporum quas Cicero vicissitudines sit expertus, neque propositum nobis est expromere neque necessarium. tantum dico, cum omnia essent plenissima miseriarum, quas ille in secundo libro Epistularum ad Atticum quasi agatur res non narretur exponit, Tullium „erecto animo et minime perturbato“[2] vitam egisse dignitatemque suam magna cura ac diligentia servasse. sed cum et res publica sine ulla spe mutationis in perpetuum amissa esse videretur et multis aliis: vel ex rei publicae tanto motu — quorsum enim eruptura essent timebat — vel ex iis periculis, quae illi ipsi intenderentur, sollicitaretur, iam pridem gubernandi molestia adfectus a negotiis publicis se removere in litterisque ac studiis optimis conquiescere statuit. quid enim habuit aliud vir, qui et dignitatis et aetatis ante actae et nobilitatis rationem haberet, quod faceret melius, in eo praesertim statu rei publicae, quo tum utebantur? nisi forte vir nobilissimus aut servilem in modum uni alterive hominum praepotentium socius ministerque esse aut, ab optimatium fautoribus hominibusque popularibus, quibus neutris satis fecisset, aeque desertus, unus omnium inimicitias suscipere voluisset et, cui rei Tullium parem non fuisse scimus, ut pars melior vinceret maiorem obtinere et perficere. sua enim in re publica praeclara consilia quamvis antea acerrime tuitus esset, tum, cum iam eum taederet omnium, non ille quidem dereliquit, sed non ita curabat. „patria propitia sit“, scribit eodem anno ad Atticum (II. 9. 3), „habet a nobis, etiam si non plus, quam debitum est, plus certe, quam postulatum est“. atque in alia epistula (ib. 14. 1.) „ego autem usque eo sum enervatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim ἐντυραννεῖσθαι,

[1] ad Att. II. 8. 1. ibid. 2. 1.
[2] ad Att. II. 24. 4.

quam cum optima spe dimicare". „atque haec", scribit ad eundem Atticum, cum ex eo quaedam, quae in re publica fieri dicerentur, quaesisset (ibid. 7. 4.), „sic velim existimes, non me abs te κατὰ τὸν πρακτικὸν quaerere, quod gestiat animus aliquid agere in re publica: iam pridem gubernare me taedebat, etiam cum licebat; nunc vero, *cum cogar exire de navi non abiectis sed ereptis gubernaculis,* cupio istorum naufragia ex terra intueri".

Sed sive remotus est Cicero a re publica sive ipse recessit, immutata ratione vitae, ad philosophiam confugere animum induxit. quo de consilio, ne verbis solum adtingamus quae volumus ostendere, ad eundem T. Pomponium, qui ei et in publica re magnam partem socius et in privata conscius omniumque denique consiliorum particeps erat, scribit ut solet ille quidem sincere (ad Att. II. 16. 3.): „nunc prorsus hoc statui, ut, quoniam tanta controversia est Dicaearcho, familiari tuo, cum Theophrasto, amico meo, ut ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικόν, utrique a me mos gestus esse videatur; puto enim me Dicaearcho affatim satis fecisse, *respicio nunc ad hanc familiam,* quae mihi non modo, ut requiescam permittit, sed reprehendit, quia non semper quierim. *qua re incumbamus*, o noster Tite, *ad illa praeclara studia* et eo, unde discedere non opportuit, aliquando revertamur". quibus redire se Tullius in gratiam cum veteribus amicis, id est, cum libris suis non obscure significavit. sed planius etiam ad eundem amicum, cum qui consules pararentur illius anni, ut certiorem se faceret, scripsisset, et num quae novae leges et num quid novi omnino quaesisset, haec addit (ad Att. II. 5. 2.): „sed quid ego haec, quae cupio deponere et toto animo atque omni cura φιλοσοφεῖν? *sic,* inquam, *in animo est:* vellem ab initio, *nunc vero,* quoniam quae putavi esse praeclara expertus sum quam essent inania, *cum omnibus Musis rationem habere cogito.*" „tu quidquid indagaris de re publica", scribit alio loco (ad Att. II. 4. 3.), „et maxime quos consules futuros putes facito ut sciam: tametsi nimis sum curiosus; *statui enim nihil de re publica cogitare*". nam non potuit homo,

qui tot annos non mediocriter ille quidem in re publica versatus esset, sed procurationem quamdam eius habuisset, omnem curam cogitationemque quasi vestem detractam deponere.

Quo consilio capto, Tullius, urbe relicta, re vera aliquam diu villas ac praedia sua peragrabat ab omnibus negotiis publicis remotus. quod tempus omne in litteris et doctrinae studiis consumebat, in quibus medicinam atque solatium quoddam perturbati animi inveniret.[1] „*neque aliud iam*“, scribit ad Atticum (II. 6.), „*quidquam* πολιτεύομαι, nisi odisse improbos et id ipsum nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi voluptate.“ atque alio loco (ad Att. II. 22. 3.): „nunc ita nos gerimus, ut in dies singulos et studia in nos hominum et opes nostrae augeantur, *rem publicam nulla ex parte attingimus.* sed alios quoque locos proferemus: (ad Quint. fr. III. 6. 4.) „itaque *abduco me equidem ab omni rei publicae cura dedoque litteris*“. (ad Att. IV. 18. 2.): „nec tamen ego de meo statu demigro quaeque vita maxime est ad naturam, ad eam me refero, *ad litteras et studia nostra* . . . . fratrem meum et te si habebo, per me isti pedibus trahantur, vobis συμφιλοσοφῆσαι possum“. (de orat. III. 4. 14.): „*pergamus ad ea solatia,* quae non modo sedatis molestiis iucunda, sed etiam haerentibus salutaria nobis esse possunt“. (ad Att. IV. 10. 1.): „sed mehercule ut a ceteris oblectationibus deseror et voluptatibus propter rem publicam, *sic litteris sustentor et recreor* maloque in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristoteli sedere, quam in istorum sella curuli“. (ad Quint. fr. III. 9. 2.): „*litterae me et studia nostra* et otium villaeque *delectant*“. (ad Att. II. 13. 2.): „credas mihi velim: neminem adhuc offendi, qui haec tam lente, quam ego fero, ferret. qua re, mihi crede, φιλοσοφῶμεν: *iuratus tibi possum dicere nihil esse tanti*“. (ad Att II. 4. 2.): „interea quidem cum Musis

[1] Ita enim erat tum animo perculso et abiecto, ut ad Atticum scripserit: (III. 4.): „me, mi Pomponi, valde poenitet vivere“. (ib. 6.): „me vix misereque sustento“. (ib. 7. 1.): „odi enim celebritatem, fugio homines, lucem aspicere vix possum“. (ib. 2.): „quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me manus abstineam“.

nos delectabimus, animo aequo, immo vero etiam gaudenti ac libenti".

Atque equidem illa, quae plane ac diserte a Cicerone sunt dicta profero, sunt alia, quae iocans ad Atticum suum de his studiis scripsit, quae quamvis non ita magni momenti esse videantur, cum tamen quidquid ille de hac parte vitae atque ingenii scriptum reliquit colligere instituerimus, ne ea quidem praetereunda sunt. scribit igitur non sine ironia (ad Att. II. 14. 1.): „C. Arrius proximus est vicinus, immo ille quidem iam contubernalis, qui etiam se idcirco Romam ire negat, *ut hic mecum totos dies philosophetur*". atque in alia epistula ad eundem Atticum (I. 18. 3.): „consul est impositus is nobis, quem nemo *praeter nos philosophos* aspicere sine suspiratu posset". philosophum se ille quidem appellat, sed quam invito animo ipse viderit. at alio loco, quem pene praeterii, ad hunc amicum suum familiarissimum, quem nemo unquam adducere potuit, ut ad rem publicam accederet, ipse tandem iniquitate temporum ab ea remotus ad philosophiamque reversus viden quam iocose scribere audet (ad Att. II. 12. 4.): „Terentia delectata est tuis litteris: impertit tibi multam salutem, καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται". facete ille quidem sicut alia multa, sed non sine quadam nota stomachi aut certe doloris.

Nam totum hoc philosophandi consilium, quod partim ostentationis cuiusdam speciem prae se ferebat partim animi parum fortis signum erat, firmum fuisse non videtur. quae enim protulimus verba, quamquam remoto ioco illa quidem scripta esse concedimus, tamen recentibus etiam malis ad amicum sunt missa, cum Cicero ita adfectus animo esset, ut vehementer animo caderet de auctoritateque sua in re publica, omni spe abiecta, desperaret. quod enim, cum invidiosa iam esset illorum, qui rem publicam ad se traxerant, trium virorom vis ac potentia, ad eundem Atticum scripsit (II. 9. 2.): „videbis brevi tempore magnos non modo eos, qui nihil titubarunt, sed etiam illum ipsum, qui peccavit, Catonem. *nam nos quidem,* si per istum tuum sodalem Publium (Clodium dicit) licebit,

σοφιστεύειν *cogitamus*", id quam grave fuerit res ipsa docuit· etenim, ut illud suum forense regnum, quod ei nemo eripere potuit, omittam, in quo nunquam homo eloquentissimus, ne hoc quidem tempore, erudita voce voluntatem populi Romani regere destitit, simul atque consecuta sunt tempora feliciora, non ille quidem philosophiae prorsus vale dixit,[1] sed, ut Neoptolemus ille Ennianus,[2] philosophari sibi necesse arbitratus, sed paucis, nam omnino haud placere, negotiis publicis occupationibusque doctrinam studiaque denuo longe postposuit.

Itaque Tullius, qui forum ac lucem nunquam fugeret, non ita multo post, mutatione rerum facta discordiaque inter illos praepotentes viros exorta, philosophiae facile oblitus eum cursum „qui semper fuit optimi cuiusque" denuo tenuit remque publicam rursus capessivit. cuius saluti temporibusque vir libertatis amantissimus cum deesse nollet, litteris aut nihil aut certe non multum temporis tribuere potuit. quod vel ex eo intellegi potest, quod, editis de re publica libris, (54. a. Chr. n.) toto illo tempore a 54 anno ad 46 nihil iam de philosophia confecit. quod idem Atticus quoque observat in eo sermone, qui est expositus in Bruto (5. 19.): *„iam pridem enim conticuerunt tuae litterae nam ut illos de re publica libros edidisti, nihil a te sane accepimis"*. scriptus est autem Brutus, ut scimus, principio 46 anni ante Christum natum. ex quo patet Ciceronem, ne hoc quidem tempore, cum otio frueretur ille quidem invito et inerti quicquam litteris mandasse, quamquam Attico suo spem scribendi fecerat his ipsis verbis (ad Att. II. 14. 2.): „magnum quid aggrediamur et multae cogitationis atque otii? sed tamen *satis fiet a nobis neque parcetur labori"*.

---

[1] Conf. quae ex itinere cum in provinciam proficisceretur (51 a. Chr. n.) ad Titum suum scripsit (ad Att. V. 10. 5.): „valde me Athenae delecarunt, urbs dumtaxat et urbis ornamentum et hominum amores in te et in nos quaedam benevolentia. ‚sed multum et philosophia'. *ἄνω κάτω*. si quid est, est in Aristo, apud quem eram. nam Xenonem tuum vel nostrum potius Quinto concesseram, et tamen propter vicinitatem totos dies simul eramus iunctim".

[2] Cic. Tusc. d. II. 1. 1.

*

Sed de libris, quos Cicero conscripserit, alius nobis est locus ad dicendum constitutus, hic tantum commemorandum arbitror, Marcum Tullium toto illo tempore, quod est ante Caesaris dominationem consecutum, studiis philosophiae intermissis, ne dicam neglectis, rursus et in foro et in curia ἀριστεύειν,[1] ut ipsius verbo utar, desiderasse, neque quae tempestates essent consecuturae praevidisse. itaque „disertissimo Romuli nepotum"[2] iterum experiendum erat, quod nunquam satis intellexisse videtur, oratorem se quidem esse unum omnium eloquentissimum, civem optimum, sed neque tam firmum in re publica neque tam callidum, ut praepotentium cupiditatibus pessimisque consiliis obsisteret. saepe enim pro ea qua erat benignitate animi, si quae contra salutem vel ipsius vel rei publicae parabantur, in bonam partem accipiebat, neque futuros casus rei publicae longe prospiciebat. quo factum est, ut ei opinione celerius accideret, ut, „quo tempore aetas eius perfuncta rebus amplisimis tanquam in portum confugere deberet otii modesti atque honesti",[3] tum arma essent civilia repente sumpta eaque tempora consecuta, quibus lugere facilius posset rem publicam quam iuvare.

6.

Cicero iterum ad philosophiam confugiendi consilium capit.

Jam vero ad ea tempora pervenimus, — multa enim, quae a proposito sunt remota, praetermittemus — cum Cicero, civilis belli tempestatibus inter Pompeium et Caesarem subito exortis, omni spe rei publicae vel salvandae vel recuperandae praecisa, philosophiae recordatus ad eam tanquam in portum, gravissimis iactatus tempestatibus iterum confugit. etenim, ut rem perpaucis adtingamus, in ipso discessu e provincia Cilicia, in quam 51 anno a. Chr. n. iussus ierat, cum ad urbem pro-

[1] ad Quint. fr. III. 6. 4.

[2] Catull. XLVIII.

[3] Cic. Brut. 2. 8

peraret triumphaturus, in ipsam incidit flammam civilis discordiae vel potius belli.[1] quod cum brevi ortum esset gravissimum iamqae Caesar cum legionibus ad urbem adventaret, Tullius, postea quam diu magna inconstantia versatus est et quantum maxime potuit cunctatus — pacis enim semper auctor fuit — tandem, cum consules, senatores, praetores omnes metu perterriti Roma discessissent, meliorem causam secutus et ipse mare traiecit ad Popeiumque se contulit. sed, quem ad modum Julium sidus, ut loquar poetice, Pompeianos vicerit imperioque potitus summam rerum omnium occupaverit, non est huius commentationis enarrare, tantum dico. Ciceronem, *cum secutus esset, ut ait ipse,*[2] *non spem sed officium, reliquisse non officium sed desperationem.* quod cum fecisset homo summo ingenio summaque auctoritate praeditus a Caesaris animi magnitudine benignissime acceptus in urbem ad suosque est reversus.

Sed, rerum magna mutatione facta, cum non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis, quae didicisset tractare quibusque se adsuefecisset,[3] egere iam rem publicam tempore progrediente intellexisset, pristinis orbatus muneribus, cum et dignitatis vestigium retinere vellet et rationem ducere suae salutis, diu quid faceret incertus, honestissime has molestias se laturum putavit, si ad litteras, quibus iam inde a pueritia studuisset multumque temporis tribuisset, ut aliquot annis ante, rursus se rettulisset. iam enim anno ante (49. a. Chr. n.) ad Atticum scripserat:[4] „σοφιστεύω enim simul ut rus decurro". itaque, re publica eversa libertate unius dominatu oppressa, cum nihil haberet, quod ageret potius, quod quidem se esset dignum amplitudineque sua, ad philosophiam iterum se conferre instituit. qua super re ipsius Ciceronis verba proferre placet (de div. II. 2. 6. : *„ac mihi quidem explicandae philosophiae causam attulit casus gravis civitatis,* cum in armis civilibus nec tueri meo more rem pu-

[1] Cic. ad fam. XVI. 11. 2.

[2] ad fam. IX. 5. 2. ad Att. VIII. 7. 2.: „ego vero quem fugiam habeo: quem sequar non habeo".

[3] Brut. 2. 7.

[4] ad Att. IX. 9. 1.

blicam nec nihil agere poteram nec quid potius, quod quidem me dignum esset, reperiebam". atque paulo post prosequitur: „id enim ipsum a Platone philosophiaque didiceram, naturalis esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. *quod cum accidisset nostrae rei publicae,* tum pristinis orbati muneribus haec studia renovare coepimus". (de off. II. 1. 2.): „*cum autem dominatu unius omnia tenerentur neque esset usquam consilio aut auctoritati locus,* sociosque tuendae rei publicae, summos viros, amisissem, nec me angoribus dedidi, quibus essem confectus, nisi iis restitissem, nec rursum indignis homine docto voluptatibus . . . *nihil agere autem cum animus non posset,* in his studiis ab initio versatus aetatis existimavi honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam rettulissem". (Tusc. d. V. 2. 5.): „sed et huius culpae et ceterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correctio est; cuius in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, *his gravissimis casibus* in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus". (ad fam. IV. 3. 4.): „tantum dicam, quod te spero approbaturum, me, *postea quam illi arti, cui studueram, nihil esse loci neque in curia neque in foro viderem,* omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse". (ad fam. VII. 28. 3.): „*reliquam spem nullam video,* qua re ad prima redeo. sapienter haec reliquisti, si consilio, feliciter, si casu". „sin autem quis requirit", scribit in iis libris qui sunt de natura deorum (I. 4. 7.), „quae causa nos impulerit, ut haec tam sero litteris mandaremus, nihil est quod expedire tam facile possimus: *nam cum otio langueremus et is esset rei publicae status, ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse esset* . . . philosophiam nostris hominibus explicandam putavi . . . *hortata etiam est, ut me ad haec conferrem, animi aegritudo,* fortunae magna et gravi commota iniuria".

Sed, priusquam de hac animi aegritudine dicam, de suppressa voce, qua Cicero dominationem illam Caesaris adtingit, admonendum videtur. dicit enim, eum fuisse rei publicae statum,

ut eam *unius* consilio curaque gubernari esset necesse.[1] itane vero? necesse fuit, ut in re publica libera repente „rex importunus“ existeret, qui ad se summam rerum omnium traheret libertatemque civium Romanorum opprimeret atque totam deleret? sed, quod gravius etiam est, quamvis ipse rem communem ita esse dilapsam lugeret, ut ne spes quidem melius aliquando fore reliqua esset, huius rei tamen plenae desperationis ac maestitiae culpam in Caesarem ille quidem non conferebat. quod ne temere dixisse videar, ipsius verba afferam. scribit igitur ad Curionem, hominem sibi amicissimum (ad fam. VII. 28. 3.): *„nec vero nunc quidem culpa in eo est, in cuius potestate omnia sunt* — nisi forte id ipsum esse non debuit — sed alia casu, alia etiam nostra culpa sic acciderunt, ut de praeteritis non sit querendum“. atque ad alium quemdam amicum (ad fam. IX. 17. 2.): „quoniam ego, vir fortis idemque philosophus, vivere pulcherrimum duxi, non possum eum non diligere, cuius beneficio id consecutus sum; qui si cupiat esse rem publicam, *qualem fortasse et ille vult* et omnes optare debemus *quid faciat tamen non habet:* ita se cum multis colligavit“, sed haec ille, cum iam in gratiam cum Caesare redisset, scripsisse videtur, illarumque miseriarum non solum ratio sed dies etiam sensim aliquam attulisset aut oblivionem aut certe consolationem. nam Tullium, qui omnia de re publica praeclara atque egregia sentiret, nunquam sane Brutum suum aliosque amicos secreto admonere atque incitare destitisse, notum est, ut in pristinum statum rem publicam restituerent. quin etiam Caesare nefarie insaneque occiso, actam esse illam rem *animo virili*, ad Atticum scripsit non sine quadam laetitia.[2] atque in alia epistula (ad Att. XIV. 4. 2.) exclamat: „sed omnia licet

[1] Conf. quae 49 anno (a. Chr. n.) ad Atticum scripserat (VII. 11. 1.): „o hominem amentem et miserum, qui ne umbram quidem umquam *τοῦ καλοῦ* viderit! . . . . . num honestum igitur habere exercitum nullo publico consilio? occupare urbes civium, quo facilior sit aditus ad patriam? *χρεῶν ἀποκοπάς, φυγάδων καθόδους*, sescenta alia scelera moliri, *τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ᾽ἔχειν τυραννίδα* . . . ?

[2] Conf. ad Att. XIV. 21. ib. 6. 1. ib. 12. 1.

concurrant, Idus Martiae consolantur! nostri autem ἥρωες, quod per ipsos confici potuit, *gloriosissime et magnificentissime* confecerunt". neque enim civis optimus in re publica plus vidit; nam nomen tantum tyranni, ut ipsi non ita multo post fatendum erat,[1] non tyrannis ipsa mutata erat.

Sed, ut unde paulum deflexit eodem referat se oratio, qui fuerit totius rei publicae status, cum omnia unius in manibus essent, non a re publica commissa sed vi atque proelio erepta, civesque boni magna ex parte aut occidissent aut in exilium eiecti essent, facile intellegitur. in hac igitur rei publicae tanta miseria, cum regnum non iam pararetur sed esset, vir libero animo praeditus, cui res publica vita sua esset carior,[2] quanto dolore, quanta molestia adfectus fuerit, dicere omitto; nihil enim erat mali quod non aut sustineret aut exspectaret, nihil boni, quod speraret.[3] „multa mihi ipsi", scribit in prima Tusculanarum disputationum (45. 109.), „ad mortem tempestiva fuerunt, *quam utinam potuissem obire!* nihil enim iam adquirebatur, cumulata erant officia vitae, cum fortuna bella restabant". ad haec publica mala aliud domesticum accessit, mors Tulliae filiae, amorum deliciarumque suarum. quae Ciceronem ita adflixit, ut maerore atque angore animi fractus paene videretur. harum etiam cum publicarum tum domesticarum calamitatum oblivionem quaerens et consolationem, ut quonam consilio vir eruditus ad studia iterum sibi confugiendum esse putaverit persequamur, temporum iam iniquitate a re publica remotus ad philosophiam, tamquam ad „unam omnium animi morborum sanationem",[4] iterum se conferre animum induxit, ut in ea aliquando ex multis miseriis atque periculis requiesceret curamque animi et dolorem deponeret atque remitteret. qua supra re quae ipse in scriptis reliquit ponemus. (Acad. I. 3. 11.): „nunc vero *et fortunae gravissimo percussus vulnere* et admini-

[1] de off II. 1. 3. Conf. ad Att. XIV. 9. 2.: „O dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit".

[2] ad fam. VII. 28. 3.

[3] ad Att. XI. 11. 2.

[4] Tusc. d. IV. 38. 83.

stratione rei publicae liberatus *doloris medicinam a philosophia peto* et otii oblectationem hanc honestissimam iudico; aut enim huic aetati hoc maxime aptum est, aut iis rebus, si quas dignas laude gessimus, hoc in primis consentaneum, aut etiam ad nostros cives erudiendos nihil utilius, aut, si haec ita non sunt, *nihil aliud video quod gerere possimus*". (ad fam. V. 13. 5.): „itaque, ut mones, quantum potero, *me ab omnibus molestiis et angoribus abducam* transferamque animum ad ea, quibus secundae res ornantur, adversae adiuvantur". (ad Att. XII. 14. 3.): „quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, *ut ipse me per litteras consolarer* . . . . affirmo tibi nullam consolationem esse talem". (ad fam. V. 21.): „itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, *litterulis* nostris". (ad fam. VII. 28. 2.): „sed quod tu, cui licebat, pedibus es consecutus, ut ibi esses ‚ubi nec Pelopidarum' — nosti cetera — *nos idem propemodum consequimur alia ratione;* cum enim salutationi nos dedimus amicorum, quae fit hoc etiam frequentius, quam solebat, quod quasi avem albam videntur bene sentientem civem videre, abdo me in bibliothecam". (Tusc. d. III. 3. 6.): *„est profecto animi medicina philosophia,* cuius auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris, omnibusque opibus atque viribus, ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est". (ad fam. VI. 12. 5.): „sed *est unum doctrina perfugium ac litterae,* quibus semper usi sumus, quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur, *nunc vero etiam salutem*". (ad fam. VII. 30. 2.): „quid, si cetera scribam? sunt enim innumerabilia generis eiusdem, *quae quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiae portum contulissem?*" (ad fam. IV. 4. 4.): „tamen hoc studium cotidie ingravescit, credo et aetatis maturitate ad prudentiam et iis temporum vitiis, *ut nulla res alia levare animum molestiis possit*".[1] (ad fam. IV. 3. 3.): „quae quidem (doctrinarum studia) vel optimis rebus, et usui et delectationi esse possent, *his vero temporibus habemus aliud nihil in quo acquiescamus*". (ad Att. XIII. 10.

[1] Conf. ad Att. XIV. 13. 3.: „nosque *cum multum litterae* tum non minimum Idus quoque Martiae consolentur".

1.): „quid enim sumus aut quid esse possumus? domine an foris? *quod nisi mihi hoc venisset in mentem scribere ista nescio quae, quo verterem me, non haberem.* (ad Att. XII. 45. 1.): „ego hic duo magna συντάγματα absolvi; *nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum*". (Tusc. d. V. 41. 121.): „ad Brutumque nostrum hos libros alteros quinque mittemus, a quo non modo impulsi sumus ad philosophiae scriptiones, verum etiam lacessiti. in quo quantum ceteris profuturi simus non facile dixerim, *nostris quidem acerbissimis variisque et undique circumfusis molestiis alia nulla potuit inveniri levatio*". (ad Att. XII. 20. 1.): „quod me hortaris idque a ceteris desiderari scribis, ut dissimulem me tam graviter dolere, possumne magis, quam quod totos dies consumo in litteris? quod etsi non dissimulationis, *sed potius leniendi et sanandi animi causa facio,* tamen si mihi minus proficio, simulationi certe facio satis".

Nam admonuerat Ciceronem in hoc maerore vetus amicus T. Pomponius, ne mortem filiae nimis lugeret, quasi fractus dolore esset et adflictus, vereri se ne, si ita perseverasset, et gratia eius minueretur et auctoritas. gravius enim quodam modo hanc domesticam calamitatem, quam ipsos rei publicae casus tulisse videtur. quod ei non parvae fuisse vituperationi quis mirabitur, cum et privatae publicis calamitatibus longe postponendae sint, et Tullius in iis etiam ipsis, si quae praeclare gessisset, multos vituperatores habuerit? his autem omnibus, sive amici fuerunt sive inimici, dolere se quidem Cicero respondit, ita tamen, ut neque fractus dolore neque afflictus animo iaceret. „si qui me fractum esse animo et debilitatum putant", rescripsit Attico (XII. 38. 3.), „sciant quid litterarum et cuius generis conficiam, credo, si modo homines sunt, existiment me, sive ita levatus sim, ut animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum me non esse, *sive hanc aberrationem a dolore delegerim,* quae maxime liberalissima doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere". Atque aliis quoque locis contra hos vituperatores se defensitat, veluti: (ad Att. XII. 40. 2.): „ego, quid homines aut reprehendant aut postulent, nescio: ne doleam? qui pot'est? ne iaceam? quis

unquam minus? . . . . legere isti laeti, qui me reprehendunt tam multa non possunt, quam ego scripsi; quam bene nihil ad rem, *sed genus scribendi id fuit, quod nemo abiecto animo facere posset*". (ad Att. XII. 21. 5.): „neque tamen progredior longius, quam mihi doctissimi homines concedunt, quorum scripta omnia quaecunque sunt in eam sententiam non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti, accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, *quod certe afflicti et fracti animi non fuit;* ab his me *remediis* noli in istam turbam vocare, ne recidam". (ad Att. XII. 28. 2.): „quod me ipse per litteras consolatus sum, non poenitet me, quantum profecerim: *maerorem minui,* dolorem nec potui, nec, si possem, vellem". „et, ut scias", scribit alio loco (ad Att. XII. 23. 2.): *„me ita dolere, ut non iaceam,* quibus consulibus Carneades et ea legatio Romam venerit scriptum est in tuo annali"?

Verum tamen si quaerimus, hunc reprehendentium sermonem, videtur, non sine causa esse exortum. ipse enim scribit (ad fam. V. 13. 4.): „et domestica feremus, ut censes, et publica *paulo etiam fortius*". et ad Titum suum apertius etiam atque planius (ad Att. XIII. 20. 4.): *„vellem tam domestica ferre possem* quam ista contemnere". (ad Att. XII. 40. 3.): *„hilaritatem illam,* qua hanc tristitiam temporum condiebamus, *in perpetuum amisi*". (ad Att. XII. 28. 2.): „quod meam consuetudinem revocas, fuit meum quidem iampridem rem publicam lugere, quod faciebam sed mitius — erat enim, ubi acquiescerem: — *nunc plane non ego victum nec vitam illam colere possum*".

Sed huius doloris, qualiscunque fuit, consolationem ac levamentum Ciceronem in doctrinae studiis et quaerere instituisse et re vera invenisse, exempla, quorum festivam copiam supra protulimus, satis sane ostendunt. quod ipse ad Cornificium quemdam amicum his ipsis verbis testificatur (ad fam. XII. 23. 4.): „equidem et haec et omnia, quae homini accidere possunt, sic fero, *ut philosophiae magnam habeam gratiam, quae me non modo ab sollicitudine abducit, sed etiam contra omnes fortunae impetus armat*". haec ille quidem satis clare, neque tamen sibi semper est consentaneus. exstant enim aliquot

loci, quibus Tullius aut non multum se profecisse conqueritur aut philosophiam sibi omnino obfuisse, veluti: (ad Att. XII. 38. 1.): „at ego hic scribendo dies totos *nihil equidem levor*“. (ib. 14. 3.): „totos dies scribo, non quo proficiam quid, sed tantisper impedior, *non equidem satis* — vis enim urget“. (ad fam. V. 15. 5.): „itaque sic litteris utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab iis *medicinam perpetuam,* sed ut exiguam oblivionem doloris petam“. (ad fam. IX. 8. 2.): „nunc autem quid est, sine his cur vivere velimus? mihi vero *cum his ipsis vix,* his autem detractis ne vix quidem“. (ad Att. XII. 15.): „secundum te nihil est mihi amicius solitudine. in ea mihi omnis sermo est cum litteris; eum tamen interpellat fletus, cui repugno, quoad possum, *sed adhuc pares non sumus*“. (ad fam. V. 15. 3.): „quod enim esse poterat mihi perfugium spoliato et domesticis et forensibus ornamentis atque solatiis? litterae, credo, quibus utor assidue, quid enim aliud facere possum? sed nescio quo modo, *ipsae illae excludere me a portu et perfugio videntur,* et quasi exprobrare, quod in ea vita maneam, in qua nihil insit nisi *propagatio miserrimi temporis*“. (ad fam. IX. 26. 1.): „vivas, inquies, in litteris! an quidquam me aliud agere censes aut possem vivere, nisi in litteris viverem? sed *est earum etiam* non satietas, sed *quidam modus*“. (ad Att. XII. 16.): „me scriptio et litterae non leniunt sed *obturbant*“. (ad Att. XII. 46.): „quid ergo, inquies, nihil litterae? in hac quidem re *vereor ne etiam contra;* nam essem fortasse durior“. (ad Att. XII. 14. 3.): „nihil enim ‚de maerore minuendo‘, scriptum ab ullo est, quod ego non domi tuae legerim, *sed omnem consolationem vincit dolor*“. (ibid. XII. 18. 1.): „habeo enim nihil temptatis rebus omnibus in quo acquiescam. nam, dum illud tractabam, de quo ante ad te scripsi, quasi fovebam dolores meos. *nunc omnia respuo,* nec quidquam habeo tolerabilius quam solitudinem“.

Sed haec ille doloris verba ac maeroris, recentibus etiam malis, cum nihil iam speraret secundi, adversa omnia timeret atque metueret, codicillis videtur commisisse. nam, si quisquam fuit timidus atque desperatus, si quisquam consilii inopia

affectus in adversis periculosisque rebus, is Cicero fuit, ut ipse ingenue fatetur.[1] praeterea potuit illi quidem ipsi, praesertim quo tempore abiectioris animi esset, cum dolor tristitiaque variassent, aliud alias videri. ille certe, quodcunque ei mentem percusserat, ad homines sibi amicissimos confidenter scribebat, neque timebat, ne, quae verba soluto animo familiariter scribi solent, in existimantium iudicium aliquando essent ventura.

7.

Quo modo Cicero in philosophiae studiis versatus sit Caesare dominante.

Quibus causis quoque consilio adductus Cicero ad philosophiae studia confugerit diximus. quae cum iam inde a pueritia coluisset nec unquam penitus neglexisset, tum senex prope, eorum vel ad reficiendum vel ad sanandum animum utilitate perspecta, facile libenterque renovavit. „cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omnino aut magna ex parte essem aliquando liberatus“, scribit initio primae disputationis Tusculanae (1. 1.), „rettuli me, Brute, te hortante maxime ad ea studia, *quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi*“.

Sed non ut aliquot annos ante, cum spes alicuius mutationis fuisset, philosophiae studia leviter tantum attigit et in transitu, ut ita dicam, sed, quoniam omnem spem aliquando melius fore praecisam videbat, ut antea aliqua ex parte, sic tum penitus totumque se philosophiae litterisque tradidit; cuius laudes dum pleniore ore praedicat, divino quasi numine inflatus exclamat (Tusc. d. V. 2. 5.): „o vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? . . . . ad

[1] ad fam. VI. 14. 1. Conf. quae de Tullio Asinius Pollio scripsit: „utinam moderatius secundas res et fortius adversas ferre potuisset; namque utraeque cum venerant ei, mutari eas non posse rebatur“. (ap. Senec. Suas. 6. 24).

te confugimus, a te opem petimus, tibi nos, *ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus*". qua de re in iisdem libris alio loco legimus (II. 1. 1.): „ego autem, Brute, necesse mihi quidem esse arbitror philosophari; nam quid possum, praesertim nihil agens, agere melius? *sed non paucis ut ille* (Neoptolemum dicit Ennianum), difficile est enim in philosophia pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque aut omnia". „equidem hos tuos Tusculanenses dies", scribit eodem anno ad Varronem (ad fam. IX. 6. 4.), „instar esse vitae puto, libenterque omnibus omnes opes concesserim, *ut mihi liceat* vi nulla interpellante *isto modo vivere.* quod nos quoque imitamur, ut possumus, et *in nostris studiis libentissime* conquiescimus". quod aliis quoque locis commemorat: (ad fam. IX. 1. 2.): „scito enim me, postea quam in urbem venerim, *redisse cum veteribus amicis,* id est, *cum libris nostris in gratiam* . . . . ignoscunt mihi, revocant in consuetudinem pristinam teque, quod in ea permanseris sapientiorem quam me dicunt fuisse. quam ob rem, quoniam *placatis iis utor,* videor sperare debere . . . ." (ad fam. VII. 33. 2.): *„ego vero multam salutem et foro dicam et curiae* vivamque tecum multum et cum communibus nostris amatoribus". (ibid.): *„mihi enim iudicatum est,* si modo hoc Caesar patietur aut volet, deponere illam iam personam, in qua me saepe illi ipsi probavi, *ac me totum in litteras* abdere tecumque et cum ceteris eorum studiosis honestissimo otio perfrui".

Namque timebat Tullius, qui semper de re publica libera optime sentiret, ne a Caesare in curia adesse cogeretur atque sententiam suam, quae omni tempore fuisset gravissima, ad illius nutum voluntatemque dicere deberet. quod tantum abfuit ut viro nobillisimo accideret, ut ei — id quod statuerat maximeque tum cupiebat — domi suae manere atque in doctrinae studiis litterisque conquiescere liceret honestissime. „aedificia mea me delectabant", scribit eo tempore (ad fam. VI. 18. 5,), „et otium; nunc domus est, quae nulli mearum villarum cedat, otium omni desertissima regione maius. itaque ne litterae quidem meae impediuntur, in quibus sine ulla inter-

pellatione versor". eoque magis Ciceroni, si quae leviter suppressaque voce de Caesaris dominatione dixerit, indulgendum videtur esse; nam non solum vivere eum, qui a se in re publica valde disensisset in castraque Pompei profectus esset, homo magno animo ingenuoque praeditus est passus, sed eo otio uti, quo et dignitatem suam retineret et civibus suis, quibus occupatus profuisset, rerum mutatione facta, alia ratione prodesset. id quod non ita multa post accidit. nam cum otium, vir doctissimus, qui semper aliquid ageret et moliretur, nanctus esset tantum, ut eo praesertim nihil agens, prope dixi, tabesceret, ad scribendos libros se contulit, quos conficiebat tantos, quantos nemo fere tam brevi tempore; in iis et sententiam dicebat et contionabatur, philosophiam sibi pro re publica substitutam putabat.[1]

Quod quamquam ille quidem initio passus est gravissime, tempore tamen procedente cum nulla iam spes esset melius aliquando fore, sapienter necessitati paruit[2] in bibliothecamque se abdidit. „haec igitur est nunc vita nostra", scribit (ad fam. IX. 20. 3.), „mane salutamus domi et bonos viros multos, sed tristes, et hos laetos victores, qui me quidem perofficiose et peramanter observant; *ubi salutatio defluxit litteris me involvo:* aut scribo aut lego; veniunt etiam, qui me audiant quasi doctum hominem, quia paullo sum quam ipsi doctior". hoc loco, ne quid quod ad Ciceronis studia huius temporis pertineat praetermittam, id quod verba ipsa admonere videntur, priusquam longius progrediar, paucis explicabo.

Exstincta igitur populi libertate sublatisque paene iudiciis, cum nullam iam neque in curia neque in foro exercitationem haberet, ne illa facultas orationis, quae in eo erat eximia, si nunquam exerceretur, penitus exaresceret, scholam quamdam oratoriam domi suae aperuit, in qua, institutis declamationibus, iuvenibus, amicis suis, dicendi praecepta traderet. de hac re ipse in prima Tusculanarum disputationum narrat (4. 7.):

[1] Conf. de div. II. 1. 7.

[2] ad fam. IV. 9. 2.: „tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum".

„ut Aristoteles, vir summo ingenio, scientia copia, cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere docere etiam coepit adulescentes et prudentiam cum eloquentia iungere, sic nobis placet, nec pristinum dicendi studium deponere et in hac maiore et uberiore arte versari: hanc enim perfectam philosophiam semper iudicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere, in quam exercitationem ita nos studiose dedimus, *ut iam etiam scholas Graecorum more habere auderemus*". quod idem Papirio Paeto, uno ex amicis suis familiarissimis, litteris significavit (ad fam. IX. 18.): „intellexi probari tibi meum consilium, quod, ut Dionysius tyrannus cum Syracusis pulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse, sic ego, sublatis iudiciis, amisso regno forensi, *ludum quasi habere coeperim*".

Haec quidem ille, verum tamen si quaerimus, cur scholam illam instituerit, unam hanc causam fuisse non videtur. quod verba etiam ipsius perspicuum faciunt. namque idem Paetus cum de hoc ludo non nulla ei iocose scripsisset, rescripsit Tullius (ad fam. IX. 18. 2.): „quid quaeris? me quoque delectat consilium; multa enim consequor: primum, *id quod maxime nunc opus est, munio me ad haec tempora.* id cuius modi sit, nescio; tantum video, nullius adhuc consilium me huic anteponere". habebat enim discipulos: Crassum, Dolabellam, Hirtium, Pansam, alios, familiarissimum quemque Caesaris,[1] quorum amicitia, quasi praesidio firmissimo, contra omnia pericula munitum se fore sciebat. hi enim omnes, cum et videri se grati et esse studerent, pro ea qua erant cum Caesare amicitia, magistrum suum protegebant gratiamque ei quam maximam referebant. quin etiam, ut hominem omni doctrina eruditum quam diutissime secum haberent cumeoque de studiis litterisque libere conloquerentur, ad cenam etiam saepius invitabant. qua de re iocose, sicut alia multa, — sales enim

[1] Conf. Suet. de rhet. 1.: „Cicero ad praeturam usque etiam Graece declamitavit, Latine vero senior quoque et quidem cum consulibus Hirtio et Pansa, quos discipulos et grandes praetextatos vocabat".

Quint. XII. 11. 6. „Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem praeceptoris exercuit cotidie dicens audiens".

ac facetias Tullium nunquam destituisse nemo ignorat — ad amicum quemdam scripsit (ad fam. IX. 16. 7.): „nunc mutata res est: Hirtium ego et Dolabellam, dicendi discipulos habeo, cenandi magistros; puto enim te audisse, si forte ad vos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud illos cenitare“. sed satis de re, quae haud scio an huc pertinere videatur.

His igitur oratoriis exercitationibus, Cicero, quo minus philosophiae studeret, nihil impediebatur, quin etiam otio abundans multo plus operae in ea consumebat, quippe quae non minueret sed potius augeret orationis facultatem. quod ipse in eo libro, qui est de fato, his verbis tangit (2. 3.): „quibus actis, ‚quid ergo?‘ inquit ille (Hirtius), 'quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, *sed certe philosophiam illis anteposuisti,* possumne aliquid audire?' tu vero, inquam (Cicero) vel audire vel dicere; nec enim, id quod recte existimas, oratoria illa studia deserui . . . . *nec ea, quae nunc tracto, minuunt* sed augent potius illam facultatem“. quibus verbis utrisque studiis se deditum esse fatetur. sed philosophiae tamen Tullium hoc quidem tempore multo plus operae et laboris dedisse vel ex magna copia librorum, quos brevi ad summum trium annorum spatio (46—43.) conscripsit, manifestum est.

Nam, tempore procedente, cum nullum iam suis consiliis in re publica locum fore, persuasissimum habuisset, homo patriae amantissimus cum omni spe orbatus et deiectus totum se philosophiae tradere necessario coactus esset, nulla ratione otio se melius frui posse putavit, quam si non modo levandi sanandique animi causa ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam litterisque Latinis illustrandam accessisset. magnum sane opus Ciceronisque et factis et dictis dignissimum. quod ille quidem primum *ipsius rei publicae causa* suscepit, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis in rebus tam gravibus tamque praeclaris Graecis neque doctoribus neque litteris egere. id quod in iis libris qui sunt de natura deorum his ipsis verbis narratur (I. 4. 7.): „primum ipsius rei publicae causa philosophiam nostris hominibus expli-

candam putavi, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis res tam graves tamque praeclaras Latinis etiam litteris contineri". atque in libris de divinatione (II. 2. 5.): „magnificum illud etiam Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia litteris non egeant". quam ob rem et ipse huc studio atque imitatione intendit et omnes alios praesertim liberaliter eruditos et consilio et re iuvabat atque incitabat, ut hanc quoque laudem languenti Graeciae eriperent, ne quid iam esset, quo Graecia victa „feros victores" superaret. sed verba ipsius Ciceronis melius est ponere. scribit igitur in secunda Tusculana (2. 5.): „hortor omnes, qui facere id possunt, ut huius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant et transferant in hanc urbem, sicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, studio atque industria sua, maiores nostri transtulerunt". atque paulo post prosequitur: „*philosophia nascatur Latinis quidem litteris ex his temporibus,* eamque nos adiuvemus .... quod si haec studia traducta erunt, ne bibliothecis quidem Graecis egebimus".

Deinde *quaerebat* homo et Graecis litteris doctus et Latinis, *ut prodesset civibus suis* qua re cunque posset. „quaerenti mihi multumque et diu cogitanti", scribit ipse in secundo qui est de divinatione (1. 1.), „quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere rei publicae, *nulla maior occurrebat, quam si optimarum artium vias traderem meis civibus*". quod aliis quoque locis memoriae tradidit veluti (Tusc. d. I. 3. 5.): „philosophia iacuit usque ad hanc aetatem nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum; quae illustranda atque excitanda nobis est, *ut, si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi*". (de div. II. 2. 7.): „tum pristinis orbati muneribus haec studia renovare coepimus, ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur *et prodessemus civibus nostris, qua re cumqne possemus*". (de fin. I. 4. 10): „debeo profecto quantumcunque possum, in eo quoque elaborare, *ut sint opera, studio, labore meo, doctiores cives mei*". (Acad. I. 3. 11.): „nunc vero .... doloris medicinam a philosophia peto .... aut enim huic

aetati hoc maxime aptum est .... *aut etiam ad nostros cives erudiendos nihil utilius*". (Acad. II. 2. 6.): „quis reprehendet otium nostrum, qui in eo non modo nosmet ipsos languere nolumus, *sed etiam ut plurimis prosimus enitimur*". (de div. II. 1. 6.): „quod enim munus rei publicae afferre maius meliusve possumus, *quam si docemus atque erudimus iuventutem?* his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda et coercenda sit".

Itaque vir eruditissimus omnia, quae vel iuvenis excolendi animi causa didicerat, vel maturior aetate, cum in re publica versaretur, delectationis etiam causa legerat, tum perpurgata atque perpolita litteris mandabat, nova etiam multa cotidie, vel e Graeco convertebat vel Latina ipse conficiebat. qua in re vix est credibile quo studio quaque industria sit versatus. multum enim his tribus ultimis annis vir diligentissimus non solum die in umbraculis temporis consumpsit, sed noctibus etiam saepe elucubrabat; cuius rei ipsum sincerissimum testem praebemus. scribit enim (ad fam. IX. 26. 4.): „sic igitur vivitur: *cotidie aliquid legitur aut scribitur*". (ad Att. XIII. 45. 2.): „quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda, *currentem tu quidem*". (ad Att. XII. 40. 2.): „nunc ipsum *ea lego, ea scribo, ut ii, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quam ego laborem*". (ad Att. XIII. 39. 2.): „Romam, ut censes, veniam, sed invitus, *valde enim in scribendo haereo*". (ib. 40. 2.): „sed coram, ut scribis; .... *equidem in libris haereo*". (ib. 26. 2.): „*equidem credibile vix est, quantum scribam die, quin etiam noctibus*".

Haec Ciceronis mira industria tantos fructus tulit, ut recte ille, plura se brevi tempore Cesare dominante, quam multis annis, cum ipse rei publicae gubernacula tenuisset, conscripsisse, dixerit. exceptis enim de re publica libris sex totidemque de legibus, quos tamen non perfecit, quique utrique ad rem publicam tractandam pertinent, quid aliud felicissimis illis temporibus quibus magno studio ad rem publicam ferebatur, scriptum reliquit? sed verba ipsius Ciceronis hac quoque super re ponemus. scribit igitur in iis libris qui sunt ad Marcum filium

*

de officiis (III. 1. 4.): „nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus; itaque *plura brevi tempore eversa quam multis annis stante re publica scripsimus*". quod idem fere ad M. Varronem scribit, hominem secum et vetustate amicitiae et studiis iisdem coniunctum (ad fam. IX. 3. 2.): „quamvis enim sint haec misera, quae sunt miserrima, *tamen artes nostrae nescio quo modo nunc uberiores fructus ferre videntur, quam olim ferebant,* sive quia nulla nunc in re alia acquiescimus, sive quod gravitas morbi facit, ut medicinae egeamus eaque nunc appareat, cuius vim non sentiebamus, cum valebamus". itaque postea quam Hortensium edidit, quem librum quasi ostiarium, qui cives suos invitaret, in philosophiae limine collocaverat — in eo enim philosophia defensa erat a Cicerone, cum esset vituperata ab Hortensio — nullum diem praeterire est passus, quin in philosophia aliquid elaboraret, cuius partes omnes Latinarum litterarum luce illustrare instituisset. quamquam cur ego ipsius verba non proferam (Tusc. d. III. 3. 6.): „de universa philosophia, quanto opere et expetenda esset et colenda, satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio. *de maximis autem rebus nihil fere intermisimus postea nec disputare nec scribere*".

In quibus cum omnia distincte atque perspicue tractasset, ut a quovis Romano, qui quidem primis illis philosophiae elementis imbutus esset, intellegi possent elegantique etiam atque sincero sermone, ut solebat ille quidem, res quae in philosophia versantur explicasset, brevi tempore plus quam expectandum erat, de libris ipsius fluxit[1]. qui cum omnes de vita et moribus, de disserendo, de rerum deorumque natura tractarent, quid mirum exstitisse non nullos, qui eum tam cito de rebus subtilioribus atque obscuris totos libros conscribere mirarentur, nec scirent unde Tullio, quem antea et ambitio et forensis labor ab eius modi cogitationibus abstraxissent, hoc tantum philosophiae studium subito exstitisset. his ille nec

[1] Conf. de nat. d. I. 3. 6.

subito se philosophari coepisse respondit et multam operam curamque se a primo tempore aetatis in eo studio exercitationeque consumpsisse. sed hoc ipsum, quo se defendere studet, semper se esse philosophatum, quoniam Romanis hominibus erat invisum, non potuit quin in varias reprehensiones incurreret.

Hoc loco illud non queo praeterire, Ciceronem ipsum felicioribus illis rei publicae liberae temporibus, cum in foro regnaret et in curia, eadem fere de universa doctrina et sensisse et iudicasse. quoties enim ipse suum illud philosophiae studium, si quod fuit, aut excusavit aut dissimulavit? quoniam enim probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si ne nosse quidem Graecorum artes videretur, non semel philosophiam se ignorare imperitae coronae vel probavit, vel si id non potuit — nobilissimorum enim philosophorum familiaritatibus coarguebatur in ipsoque sermone inerant aliquae doctrinae notae — quam illam despiceret advectitiam sapientiam quamque Romanorum hominum prudentiam nugis illis Graeculorum anteferret, praedicavit[1]. quamquam ne illud quidem negari potest, Tullium interdum, si ex re esset, se quoque didicisse palam esse confessum. quod maxime oratio, quam pro Archia poeta (anno 62 a. Chr. n.) habuit, declarat, ubi humanitatis doctrinaeque studia non solum defenduntur acerrime, sed in caelum etiam, ut ita dicam, ecferuntur. in qua et alia praeclara et haec leguntur (pro Arch. I. 1.): „aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, *a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse* . . . . „atque alio loco (ib. VI. 14.): „*ego vero fateor, me his studiis esse deditum*, ceteros pudeat, si qui se ita litteris abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem adferre fructum neque in aspectum lucemque proferre: me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, iudices, ut a nullius umquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit aut voluptas avocarit aut denique

[1] Conf. Cic. in Verr. Act. II. 2. 35., ibid. IV. 2. 4., IV. 6. 12., IV. 7. 13., IV. 14. 3., IV. 43. 94., IV. 60. 134., post red. in s. VI. 14., pro Mur. 29. 61.

somnus retardarit". sed haec hactenus; neque enim quid quoque tempore Ciceroni visum sit persequendum arbitror, et in his ipsis verbis inest quaedam excusationis nota.

Illud pro certo scimus, Tullinm hoc etiam tempore omni. cum et foro et curiae iam diu valedixisset in philosophiaque et refugium et salutis praesidium invenisset, illam, quam toties populo Romano probavisset personam, prorsus exuere non potuisse. namque quamvis in his studiis, ut supra ipsius verbis est demonstratum, haereret vehementer, pristinae tamen dignitatis amplitudinisque memor, omnibus quibuscumque poterat modis, quod in iis potius quam in re publica versaretur, excusatum se voluit. ita invitus faciebat, ut de eo curriculo vitae, quod sibi proposuisset quodque clarissimum esset, senex prope decederet. itaque nullam occasionem homo Romanus praetermisit, quin necessitate se non voluntate in eius modi studiis tempus conterere praedicaret. sed verba ipsa Ciceronis adscribemus. (de off. II. 1. 2.): „interdum vereor ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit invisum mirenturque in ea tantum me operae et temporis ponere, ego autem, *quam diu res publica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam*". (de div. II. 2. 6.): „*dabunt igitur mihi veniam* mei cives vel gratiam potius habebunt, quod *cum esset in unius potestate res publica,* neque ego me abdidi neque deserui, neque adflixi neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus, neque porro ita aut adulatus aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae paeniteret". (ad fam. IX. 6. 5.): „quis enim hoc non dederit nobis ut, *cum opera nostra patria sive non possit uti sive nolit,* ad eam vitam revertamur, quam multi docti homines *fortasse non recte,* sed tamen multi etiam rei publicae praeponendam putaverunt? quae igitur studia magnorum hominum sententia vacationem habent quandam publici muneris, iis *concedente re publica* cur non abutamur?" (de fin. I. 3. 10.): „ego vero quoniam forensibus operis, laboribus, periculis *non deseruisse mihi videor* praesidium, in quo a populo Romano locatus sum, debeo profecto in eo quoque elaborare . . ."

(Acad. II. 2. 6.): „quod si, cum fungi munere debebamus, non modo operam nostram numquam a populari coetu removimus, sed ne litteram quidem ullam fecimus nisi forensem, *quis reprehendet otium nostrum,* qui in eo non modo nosmet ipsos hebescere et languere nolumus, sed etiam ut plurimis prosimus enitimur?" (orat. 43. 148.): „quod si ea, quae dixi, non ita essent, quis tamen se tam durum agrestemque praeberet, *qui hanc mihi non daret veniam, ut, cum meae forenses artes et actiones publicae concidissent,* non me aut desidiae, quod facere non possum, aut maestitiae, cui resisto, potius quam litteris dederem"?

Ex his ipsis excusationibus, quae Ciceronis animi sensum apertissime exprimunt, quam invitus ille quidem fecerit. ut vitam suam consumeret in studiis, satis sane perspicitur. quod quidem aliis quoque locis disertissime planissimeque fatetur, veluti in libris de deorum natura, cum, quibus causis adductus ad philosophiam animum adplicavisset, dixisset, haec verba addit (I. 4. 9.): „*cuius* (animi aegritudinis) *si maiorem aliquam levationem reperire potuissem,* non ad hanc potissimum confugissem". atque in tertio de officiis (1. 2.): „*nostrum autem otium negotii inopia, non requiescendi studio constitutum est;* . . . propterea et otio fruor, non illo quidem, quo debebat is, qui quondam peperisset otium civitati, nec eam solitudinem languere patior, *quam mihi affert necessitas non voluntas*". atque haec quidem aperte, alia tectius, veluti, philosophorum quadam sententia prolata, cum ad Atticum suum iocans scriberet (XIII. 20. 4.): „viden quam φιλοσόφως? an tu nos frustra existimas haec in manibus habere?" „sed haec hactenus". scribit in alia epistula ad eundem Titum (ad Att. XIII. 21. 4.): „ne videar περὶ μικρὰ σπουδάζειν; etsi nunc quidem maxima mihi sunt haec, quid est enim aliud?" atque ad alium quemdam amicum (ad fam. IX. 17. 2.): „quoniam ego, vir fortis *idemque philosophus,* vivere pulcherrimum duxi . . . „quae omnia non sine quadam philosophiae neglegentia, ut nihil aliud dicam, scripta videntur.

Sed ut haec, quae Ciceronis opera legenti luce clariora sunt, missa faciamus, quam paratus fuerit etiam tum, occasione data, rei publicae, ut aiebat ille quidem, non deesse, ex verbis quae ad Varronem, iisdem studiis deditum amicum, scripsit, facile intellegi potest (ad fam. IX. 2. 5.): „modo nobis stet illud: una vivere in studiis nostris . . . *non deesse, si quis adhibere volet, non modo ut architectos, verum etiam ut fabros, ad aedificandam rem publicam, et potius libenter occurrere*". sed quid ego ea verbis demonstrare conor, quae res ipsa optime declaravit. namque, ut caedem Caesaris quaeque alia consecuta sunt praetermittam, exceptis aliquot mensibus, quibus, cum omnia plena essent iniuriarum scelerumque hominum praepotentium, ad scientiam litterasque animum intendere non omiserat — quorsum enim illa omnium rerum perturbatio evaderet nesciebat — simul atque tempus sibi opportunum oblatum esse putavit, ad rem publicam se rursus conferre nullus dubitavit. „nunc quoniam de re publica consuli coepti sumus", scribit in secundo qui est de divinatione (2. 7.), „tribuenda est opera rei publicae, *vel omnis potius in ea cogitatio et cura ponenda,* tantum huic studio relinquendum, quantum vacabit a publico officio et munere". quod cum fecisset homo libertatis patriaeque amantissimus, reique publicae rationibus pro virili parte consulere vellet, suae ipsius vitae bene non consuluit. multorum enim inimicitiis pro re publica susceptis, cuius libertatis vindicator extitisset eloquentissimus, barbara manu oppressus concidit (7/12 43 a. Chr. n.).

Sed, cum omnia quae ei acciderint quaeque scelere Antonii perpessus sit narrare longum sit neque nobis propositum, praetereundum arbitror, tantum dico, hanc quoque rem mortemque ipsam, quam praestantissimo susceperit animo, satis sane docere, Ciceronem semper doctrinae fuisse studiosum, sed in una philosophia quasi tabernaculum vitae suae collocare nec voluisse nec si voluisset, natura ipsa fortunaque adversante, potuisse. attamen non in regenda re publica gloria maiorque pars virtutis atque ingenii tanti viri stetit! optime enim ipse, mores vitamque suam respiciens, eodem illo anno Attico suo,

uno omnium et amantissimo et familiarissimo, de sese est confessus. quae verba — praeclare enim vitam Tulli illustrare videntur — nescio quo pacto hoc loco praeterire non queo. scripsit igitur versus Homericos (Ili. V. 428.):

Τέκνον ἐμὸν, οὔ τοι δέδοται πολεμήια ἔργα,
ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

quibus verbis nos quoque huic parti nostrae commentationis finem facimus.

Pars Altera.

„Huius viri tot tantisque operibus mansuri in omne aevum praedicare de ingenio atque industria supervacuum est". Asinius Pollio (Sen. suas. 6. 24.)

8.

Quos Cicero de philosophia libros conscripserit.

Quoniam de Ciceronis philosophiae studiis: quaenam a pueritia fuerint, quo modo orta, intermissa, renovata sint, superiore parte diximus, restat, ut de iis si quae in philosophia effecerit vel consecutus sit dicendum esse videatur. ac primum quidem quos ille de rebus quae in philosophia versantur libros confecerit, servato temporis quo compositi sunt ordine, singillatim enumerabimus. quae tamen adulescens exercitationis causa scripserat, vel potius e Graeco sermone in Latinum converterat neque magni aestimanda sunt et nulla ad nos pervenerunt. libros, exempli causa, Platonis atque Xenophontis eum edidisse in Latinum sermonem translatos, Quintilianus est auctor[1]. de Oeconomico Xenophontis ipse ad Marcum filium, qui tum vicesimum primum annum agebat, scribit (de off. II. 87.): „quem nos, ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc, e Graeco in Latinum convertimus". quos autem maturior annis de philosophia libros multo post confecit, omnes fere de div. II. 1. enumerat eorumque et rationem et

[1] Instit. Or. X. 5. 2.

consilium aperit. quae nos verba, singulos libros tractantes, suo quaeque loco proferemus. scripta igitur Ciceronis de philosophia sunt haec:

1. De re publica libri sex, „spissum sane opus et operosum"[1], quod 54 anno ante Chr. n. confecit, *cum muneribus fungeretur rei publicae,* ut testatur ipse (de div. II. 1. 3.): „his libris adnumerandi sunt sex de re publica, quos tum scripsimus, cum gubernacula rei publicae tenebamus". hi libri quas vicissitudines experti sint ex epistulis ipsius perspicuum est[2]. primo enim consilio, mortuos tantum loquentes faciendi Cn. Sallusti cuiusdam admonitu mutato, disputantes induxerat se fratremque suum, postea tamen ad prima rediit Scipionique Minori primas partes tradidit, alias Laelio aliisque amicis. res, quales hoc opus continet, et oratio totius scripti conformatioque sententiarum Platonis imitatorem haud obscure indicant. quamquam ex aliorum quoque scriptis: Dicaearchi, Polybii, Theophrasti, Posidonii multa Tullium hausisse viris doctis iam dudum exploratum est[3]. magis tamen Cicero historiae rerumque verarum rationem habuisse putandus est, cum non, ut ille, civitatem optimam cogitatione informet, sed rem publicam Romanam, qualis fuit, mores institutaque maiorum copiose ornateque ad usum popularem atque civilem exponat. in ea enim optimae civitatis formam ad effectum esse adductam Scipio ut demonstret enititur. in quo sunt qui magis quam Platonem ipsum laudent Tullium, qui civibus suis praecepta, quibus in omnes partes vita civilis conformari possit ex usu historiaque sumpta tradiderit atque exposuerit. in epilogo operis, quod Somnium Scipionis inscribitur, a Macrobioque nobis est conservatum atque interpretatum, Scipio Maior multas et praeclaras sententias de deo, de universo, de immortalitate animorum Scipioni Minori,

---

[1] Cic. ad Quint. fr. II. 12. 1.

[2] Conf. ad Quint. fr. III. 3., ibid. 6. 1., ad Att. IV. 16. 2., I. P. Richarz: de politicorum Cic. librorum tempore natali (1829.).

[3] Conf. R. I. Schubert: quos Cicero de re p. I. et II. auctores secutus sit (1883.); C. Wachsmuth: Leipz. Studien. 11. 197.

cui in somnio apparet, pronuntiat[1]. totius operis vix tertia pars ad nos pervenit eaque eximia cura Angeli Mai in codice vaticano palimpsesto nuper reperta, quam is vir doctissimus primus cum ceteris reliquiis coniunctum edidit Romae 1822.

2. De legibus libri tres, quos iam 52 anno a. Chr. n. inchoavit sed non perfecit. nam non ita multo post in provinciam iussus ivit, ubi et alia multa instabant maiora, nec otium scribendi ullum fuit omnino. cum autem e provincia decedens ad urbem venit, sumpta iam erant civilia arma, in quibus nec requiescendi fuisse locum nec scribendi facile est intellectu. 46 anno a. Chr. n. hos libros retractavit Tullius, sed ne tum quidem ad exitum perduxit neque in lucem edidit. argumentum huius quoque operis e Platone est sumptum, qui, cum politiae suae τοὺς νόμους addidisset, consequens videbatur, ut Cicero quoque, qui eam in libris de re publica esset secutus, de legibus etiam, quae in civitate ita constituta essent obtinendae, quae viderentur exponeret. qua in re tractanda Platonem ita tamen est secutus, ut ius civile resque Romanas multo magis quam illius contemplativam doctrinam respiceret. multa praeterea viri docti ex omnium fere philosophorum Stoicorum scriptis deprompta invenerunt[2]. veri simillimum est Ciceronem, ut de re publica ita de legibus composuisse libros sex. quinti certe Macrobius mentionem facit his verbis (sat. 6. 4. 8.): „Cicero in quinto de legibus“. ad nos non pervenerunt nisi tres soli iique nec integri et librariorum erroribus corrupti. horum primo, qui maiore cum diligentia scriptus videtur, naturam ipsam iuris fontesque exponit; secundo ius sacrum totamque religionem, antiquarum legum sermone mire imitato, pertractat; tertio de magistratibus, de eorum generibus, potestate, imperio agit; quartus erat de iudiciis, si viri docti bene coniciunt; quintus et sextus quid continuerint, coniectura assequi non potest.

---

[1] Conf. A. G. Gernhard: de Cic. Somn. Scip. (opusc. latt. p. 373.); dr. M. Šrepel: Ciceronov Somnium Scipionis (Nast. Vjesnik. Zagreb 1894.)

[2] Conf. Teuffel-Schwabe: Geschichte d. röm. Lit. I. p. 342.; Fr. Smrčka: Quae M. T. Cic. . . . . p. 16.

3. De auguriis opusculum quo anno sit confectum viri docti non consentiunt. id veri simile videtur, scriptum esse hoc libellum post 51 annum a. Chr. n., quo anno auguratum Tullio delatum esse scimus. Drumannus, homo rerum Romanarum peritissimus, 44 anno demum esse conscriptum contendit[1] et quidem post eos libros qui de divinatione agunt. sed haec coniectura est; neque enim tantae reliquiae supersunt, ut quicquam pro certo adfirmare liceat.

4. Paradoxa, libellum ad M. Brutum missum, anno 46 a. Chr. n. est confectum, ante quam fama de morte Catonis Romam pervenit, cuius in prooemio mentio fit vivi. mortem autem Cato, ut notum est, sibi ipse conscivit Uticae (anno 47 a. Chr. n.). argumentum huius opusculi, quod Cicero de div. II. 1. ne commemorat quidem, sunt sex illa Stoicorum praecepta admirabilia:

a) „quod honestum sit, id solum bonum esse". (ὅτι μόνον ἀγαθὸν τὸ καλόν.)
b) „in quo virtus sit ei nihil deesse ad bene vivendum". (ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.)
c) „aequalia esse peccata ac recte facta". (ὅτι ἶσα τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ κατορθήματα.)
d) „omnem stultum insanire". (ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται.)
e) „solum sapientem esse liberum et omnem stultum servum". (ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.)
f) „solum sapientem esse divitem". (ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.)

haec ille, Stoicorum philosophorum doctrinam secutus, sermonis potius elegantia exornata, quam re ipsa probata, deinceps explicat atque exponit.

5. Consolatio, cuius conficiendae causam attulit mors Tulliolae, filiae dilectissimae, 45 anno a. Chr. n. est conscripta, cum se ipse per litteras consolaretur. „nam quid ego de consolatione dicam", scribit de div. II. 1. 9., „quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur, ceteris item multum illam profuturam puto". quo in libello conficiendo[2] Crantoris scriptum

[1] Geschichte Roms VI. p. 352.
[2] Conf. ad Att. XII. 20. 2.

περὶ πένθους ante oculos habuisse Tullium viri litterarum antiquarum periti iam dudum demonstrarunt; sed quid ei Cicero debeat, numque hanc consolationem ipsam in Tusculanarum disputationum libros I et II transtulerit, nihil certo scimus. cum, perpaucis exceptis, totus libellus perierit[1].

6. Hortensium, quod libellum prooemium ad eius philosophiae scriptiones adpellare possumus, scripsit Cicero eodem 45 anno, cum iam pridem et foro et curiae vale dixisset in portumque philosophiae confugisset, ut doctrinae invidiam tolleret, se quod in ea versaretur defenderet, alios, si posset, studio sapientiae excitaret. quod ipsius verbis plane significatur (de fin. 1. 1. 2.): „quamquam philosophiae quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo philosophia a nobis defensa et collaudata est“, (de div. II. 1. 1.): „et cohortati sumus ut maxime potuimus ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius“. in quo quantum profecerit unus ex multis Augustinus, vir sanctissimus, ex hominum genere consecratus, testis est, qui de se ipse scribit (de civ. d. 8. 7. 17.): „lecto Ciceronis Hortensio excitatus eram studio sapientiae“. scriptus autem videtur libellus, qui prope totus periit, ad exemplum Aristotelei ‚protreptici‘[2].

7. De finibus bonorum et malorum libri quinque, eodem anno 45 ante Academicos ad M. Brutum missi sunt, quibus Cicero, quid quaeque philosophorum schola de summo bono et de summo malo praecipiat, diserte atque copiose exponit. „cumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum“, scribit de div. II. 1., „perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur intellegi posset“. dispositionem totius operis significavit ad Atticum (XIII. 19.): „quae autem his temporibus scripsi, Aristoteleum morem

[1] Conf. B. A. Schulz: de Ciceronis Consolatione. (Greifsw. 1860.); C. Buresch: Leipz. Stud. 9. 94.

[2] De ratione quae inter utrosque libros intercedit, conf. J. Bernays: die Dialoge des Aristoteles (Berolini 1863.). H. Diels: zu Aristoleles' Protrept. und Cic's Hortens. (Arch. f. Gesch. der Phil. 1. 477.)

habent: in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. ita confeci quinque libros ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, Peripatetica M. Pisoni darem". distributum est enim totum opus in sermones tres, quorum in primo, qui anno 50 a. Chr. n. habitus esse fingitur, L. Manlius Torquatus Epicureorum sententiam, Aristoteleo more, oratione perpetua proponit, (lib. I.) quam Cicero, qui ipse primas partes agit, confutat et falsam esse docet (lib. II.). in secundo sermone, qui in annum 52 a. Chr. n. est relatus, M. Porcium Catonem inducit loquentem, a quo Stoicorum doctrina explicata (lib. III.), eam Tullius ab Antiochi Ascalonitae, philosophi Academici, sententia re ipsa non discrepare demonstrat (lib. IV.). in tertio denique sermone, quem anno 79 a. Chr. n. habitum esse effingit, M. Pupius Piso doctrinam Academicorum et Peripateticorum de finibus bonorum et malorum exponit (lib. V.). res erat perdifficilis, quam ille ut doctius copiosiusque proponeret atque illustraret, Graecorum philosophorum praestantissimum quemque adiit, in primis Phaedrum, Chrysippum, Carneadem, Antiochum, Zenonem Sidonium, Theophrastum[1], omnes fere more suo posterioris aetatis, ex quibus uberrimam copiam rerum novarum reconditarumque suo iudicio arbitrioque hausit exemplisque ex historia Romana sumptis illustravit; sed sua Ciceronem non multa adiunxisse inter viros Latinarum Graecarumque litterarum peritos satis sane constat. quod si enim prooemia, quibus in singulis libris utitur, exemplaque Romana, quae diximus, excipiamus, haud scio an ulla alia in re Tullium suum fuisse viri docti inveniant[2]. quoniam tamen omnia mira quadam elegantia copiaque sermonis pertractata sunt, hi libri optimis Ciceronis scriptis suo iure adnumerantur.

8. Academici nominantur a Cicerone ipso (de div. II. 1. 1.) libri, in quibus Academicorum doctrina est defensa, 45 anno a. Chr. n. scripti, qui primum duo tantum fuerunt,

---

[1] Conf. Diels: Doxographi Graeci p. 119. seq.; Fr. Smrčka: Quae Cic. . . . . p. 16.

[2] Conf. Hirzel: Untersuchungen (§. 183. 4.) 2. 567. Madvig: Praefatio ad Cic. libros de finibus.

Q. Lutatio Catullo et L. Licinio Lucullo dicati. hi enim primas partes agebant, cum Cicero ipse et Hortensius disputationis participes essent. paulo vero post suos Hortensique sermones ad Catonem Brutumque transferebat, cum litterae ab Attico venerunt, quibus certior factus, Varronem aegre ferre, quod ex tanta copia librorum quos conficeret nullum unquam ad ipsum misisset, totam illam ἀκαδημαϊκὴν σύνταξιν ad amicum traduxit. „*nemini visa est aptior*", scribit ad Atticum (XIII. 16. 1.), „Ἀντιοχεία *ratio*"[1]. quod quem ad modum fecerit ipse indicat (ad Attic. XIII. 13. 1.): „*ex duobus libris contuli in quattuor. grandiores sunt omnino quam erant illi, sed tamen multa detracta .... multo haec erunt splendidiora, breviora, meliora*".

His igitur Tullius Academiae patrocinium suscepit „*et quod genus philosophandi* (de div. II. 1. 1.) *minime arrogans maximeque et constans et elegans arbitraretur, quattuor Academicis libris*" ostendit. nam semper ille quidem ad Academicos inclinabat, quorum in doctrina atque praeceptis coniungeretur disserendi ratio cum suavitate dicendi et copia[2]. Academicos igitur secutus est in his conficiendis, ut par erat, in primis Antiochum Ascalonitam, Philonem Larisaeum, Clitomachum[3]. casu factum est, ut priorum illorum Academicorum alter (Lucullus), posteriorum primi libri pars prima, quae restat tota, non nullaque alia non integra ad nos pervenerint. Lucullus Philonis et Antiochi cognitionis doctrinam continet, Catullus Carneadis de eadem sententiam probabiliter praebebat. posteriorum vero Academicorum pars, quae nobis conservata est, philosophiae rationem historiamque iam inde a Socrate usque ad Arcesilam (300 a. Chr. n.), qui ante Carneadem Philonemque Academiae praefuit, uno in conspectu ponit. cetera

---

[1] Conf. ad Att. XIII. 12. 3.; ibid. 13. 18.; ibid. 19. 3.; ad fam. IX. 8.; de off. II. 8.; Quintil. III. 6. 64.; Plin. N. H. 31. 6.

[2] Conf. Brut. 31. 120.

[3] Conf. Krische: Ueber Ciceros Akademika (Gött. 1845.). Diels; Doxographi Graeci p. 119. Hirzel: Untersuchungen ... III. 251., Engstrand: de libris Academicis (Ups. 1860.)

omnia iniquitate temporum perierunt. „libri quidem ita exierunt“, scribit ad Att. XIII. 13. 1. „nisi forte me communis φιλαυτία decipit, ut in tali genere ne apud Graecos quidem simile quidquam“.

9. Tusculanarum disputationum libri quinque, ita inscripti a Ciceronis Tusculano, in quo de rebus quae ibi pertractantur disputatum esse fingitur, inchoati sunt eodem anno 45 a. Cr. n., absoluti missique ad Brutum 44 anno, post libros de finibus et ante eos quos de divinatione et de fato confecit. argumentum operis ipse planis verbis indicat (de div. II. 1.): „*totidem* (quinque) *subsecuti libri Tusculanarum disputationum res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. I enim est de contemnenda morte, II de tolerando dolore, III de aegritudine lenienda, IV de reliquis animi perturbationibus, V . . . . docet ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam*“. e quibus philosophis Graecis Tullius hauserit nondum inter viros doctos satis constat. Platonis certo scimus e singulis dialogis singula esse descripta: e Phaedro, Menone, Timaeo, alia e scriptis Crantoris, Epicuri, Chrysippi, Dicaearchi, Posidonii, Zenonis, Carneadis recepta videntur esse, quantum viri docti coniectura adsequuntur[1], sed res nondum liquet.

10. De natura deorum libri tres iam 45 anno inchoati post disputationes Tusculanas, sed 44 confecti omnem fere veterum philosophorum doctrinam de deorum natura continent. quod ipse loco toties commemorato significat (de div. II. 1.): „*quibus editis* (Tusc. d.) *tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quaestio continetur*“. in eo enim sermone, quem Cicero anno 77 a. Chr. n. apud C. Cottam feriis Latinis habitum esse fingit, C. Velleius, senator, Epicureorum de natura deorum sententiam explicat, tum Stoicorum de eadem doctrinam Q. Lucilius Balbus exponit, quam utramque C. Aurelius Cotta a veritate aberrare demonstrat, eorumque

[1] Conf. O. Heine: de fontibus Tuscul. disp. (Weim. 1863.); G. Zietzschmann: de Tuscul. disp. fontibus (Hal. 1868.); P. Corssen: de Posidonio Rhodio Ciceronis in l. I. Tuscul. . . . auctore (Bonn. 1879.);

simul quae Academici de hoc loco docebant et praecipiebant patrocinium suscipit. e Graeco omnia fere esse interpretata viri docti iam dudum statuerunt, et solito quidem durius. exemplaria autem Graeca quaerentibus, multa sane occurrunt. quibus usus esse videtur, veluti Aristotelis scripta. Philodemi[1], Epicuri. Posidoni, Phaedri, Cleanthis. Carneadis; sed res ad liquidum nondum est explorata[2].

11. Timaeus dialogus est Platonis, qui eodem inscribitur nomine, a Cicerone e Graeco in Latinum sermonem libere conversus 45 vel 44 anno, postea quam Academicos libros conscripsit. hunc libellum, sunt qui autument. Ciceronem maiori cuidam operi, in quo Nigidius Figulus Pythagoreorum doctrinam sustineret, inserere in animo habuisse[3], quam nos quaestionem in medio relinquemus. ad nos pars non integra ex libro qui periit pervenit[4].

12. Protagoras alter est dialogus Platonis a Cicerone Latine redditus, sed num his temporibus an exercitationis causa multis annis ante viri docti diiudicabunt. in eo autem omnes consentiunt Ciceronis verba de fin. (I. 7.): „*id* (ad civium suorum cognitionem Platonem aut Aristotelem transferre) *neque feci adhuc* (usque ad annum 45) *nec mihi tamen ne faciam interdictum puto*“, eius modi conversiones significare. perpauca sunt quae restant ex libro qui periit[5].

13. Cato maior sive de senectute liber initio anni 44 mandatus est litteris, quem Cicero ad Atticum suum qui tum sexagesimum sextum annum agebat, eo potissimum consilio, opinor, misit, ut amicum iam senescentem consolaretur. huius libelli mentionem facit de div. II. 1. his verbis: „*interiectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum de senectute misimus*“. atque ad Atticum (XIV. 21. 3.): „*legendus mihi saepius est Cato maior ad te missus, amariorem enim*

[1] Conf. tamen Diels: Doxogr. Graeci p. 123.; P. Wendland: Arch. f. Phil. 1. 200.

[2] Conf. Krische: Forschungen I. 34.

[3] Conf. Teuffel-Schwabe I. 348.

[4] Conf. Priscian G. L. 2. 463. 19: „Cicero in Timaeo“.

[5] Conf. Priscian G. L. 2., 182. 247. 402: „Cicero in Protagora“.

me senectus facit". argumentum huius quoque opusculi, ut ceterorum paene omnium, Graeci philosophi in primis Plato praebuerunt[1]. splendide magnificeque in eo senectus defensa est a M. Porcio Catone Censorio, quem Cicero cum C. Laelio et P. Cornelio Scipione anno 150 a. Chr. n. disputantem facit, ibique et alia praeclara et de immortalitate animorum, quam acerrime defendit, multa et gravia profert.

14. De divinatione[2] libros duo conscripsit Cicero anno 44 a. Chr. n. post caedem Caesaris (idibus Martii) ut eos, quos iam pridem de deorum natura confecisset, suppleret totamque hanc quaestionem plane et cumulate perficeret. quod his ipsis verbis indicatur (de div. II. 1.): „*quae* (quaestio de nat. d.) *ut plane esset cumulateque perfecta, de divinatione ingressi sumus his libris scribere*". sermonem Quintum fratrem secum in Tusculano habentem fingit, a quo Stoicorum de divinatione doctrina prolata, e Posidoni maxime libello περὶ μαντικῆς sumpta (I.)[3]. Marcus contra eam sententiam, quae sibi videntur, Clitomachum potissimum secutus, exponit. (II.) „*quibus de rebus et alias saepe*" scribit in iisdem libris *(I. 5. 8.)*, „*et paulo accuratius nuper, cum essem cum Quinto fratre in Tusculano, disputatum est*". qua in disputatione augurem Ciceronem reperimus, qui adversus religionem atque instituta maiorum debitam reverentiam pietatemque adhibeat. quamquam hominem quoque, qui pro omnibus et contra omnia libenter disserat, festiva, qua utitur, et quadam hilaritate conspersa oratio indicat.

15. De fato inscribitur libellus, quo Cicero totam de rebus divinis quaestionem ad finem adduxit, ut ait ipse de div. II. 3.: „*quibus,* (libris de nat. d. et de div.) *ut est in animo, de fato si adiunxerimus, erit abunde satis factum toti huic quaestioni*". conscriptum est hoc opusculum eodem 44 anno

[1] Conf. P. Ivan der Ton: Cato maior explicatur et e Graecis potiss. fontibus illustratur. (Löwen 1821.)

[2] Verbi vim et interpretationem praebet Cic. ipse (de div. I. 9.): „*earum rerum quae fortuitae putantur praedictio atque praesensio*".

[3] Conf. Th. Schiche: de fontibus libror. Cic. de div. (Jena 1875.) Diels. Dox. Graeci p. 224.

*

litterisque post Caesaris interitum mandatum. Hirtium enim consulem designatum in Puteolano secum disputantem facit (de fat. 2.): *„Hirtius noster, cos. designatus . . . . . post interitum Caesaris“*. in eo Tullius contra Stoicorum doctrinam de εἱμαρμένη disputat multaque praeclara de voluntatis libertate profert. usus est scriptis, ut solet ille quidem, Graecorum in primis Chrysippi, Posidoni, Cleanthis, Carneadis, aliorum[1], e quibus omnibus magnam copiam sententiarum pulchreque dictorum, parum accurate compluribus locis sed belle venusteque, vir sedulus atque impiger congessit. qui liber utinam exstaret totus! multa enim vel iniuria temporum vel incuria hominum interierunt.

16. Laelius sive de amicitia liber[2], quem Cicero, ut Catonem maiorem, ad Atticum suum eodem anno 44 a. Chr. n. misit, compositus est post Catonem et ante libros qui de officiis inscribuntur, ut ex his verbis patet (Lael. I. 5.): *„Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Laelius et sapiens — sic enim est habitus — et amicitiae gloria excellens de amicitia loquetur“*: (de off. 2. 31.): *„de amicitia alio libro dictum est“*. expositus est in hoc libello sermo, quem C. Laelius habuit de amicitia (anno 129 a. Chr. n.), ut fingit Cicero, cum utroque genero C. Fannio et Q. Mucio Scaevola paulo post immaturam repentinamque mortem Africani minoris. in hoc quoque opusculo componendo Tullius exemplaria adiit Graeca; et multa quidem ex Aristotelis et Platonis libris — alia e Chrysippi hausit, quaedam etiam e Theophrasti περὶ φιλίας[3] sumpsit. omnia tamen Cicero, more suo, magna cum arte admirabilique sermonis elegantia reddidit.

17. De gloria libri duo compositi sunt eodem anno 44 a. Chr. n. ante eos qui sunt de officiis, ut patet ex verbis (de

[1] Conf. M. Meinecke: de fontibus . . . Cic. . . . de fato. (Marienwerder 1887.)

[2] Gellius. Noct. Att. 17. 5. 1.: „Cicero in dialogo cui titulus est Laelius vel de amicitia“.

[3] „eum librum M. Cicero videtur legisse cum ipse quoque librum de amicitia componeret“. (Gell. 1. 3. 10.)

off. II. 9. 31.)· „*nunc dicamus de gloria, quamquam ea quoque de re duo sunt nostri libri*“ [1]. hi libri quid continuerint e titulo coniecturam facere licet, neque tamen quicquam pro certo adfirmare, cum perpauca sint. quae restant, e libro, qui paene totus periit.

18. De officiis libri tres missi sunt (44 a. Chr. n.) ad Marcum filium, qui tum studiorum humanitatis atque litterarum causa Athenis degebat, cum pater, re publica omnique potestate ad Antonium hominesque „non tam commutandarum quam evertendarum rerum cupidos“ [2] translata, invito uteretur otio, quod ei „necessitas non voluntus“ adferebat. „*nos hic* φιλοσοφοῦμεν“, scribit ad Atticum (XV. 13. 6.), „— *quid enim aliud* — *et* τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος *magnifice explicamus* προσφονοῦμεν*que Ciceroni. qua de re enim potius pater filio?*“ in hoc opere Tullius, cum, multis iactatus tempestatibus, Academiae prope valedixisset et ad Stoicorum se veram doctrinam, qua sola vir fortis ad pericula efficeretur, convertisset, multa non solum de officiis generatim, de honesto, de utili quae in utramque partem a philosophis nobilissimis disputarentur protulit, sed rem multis etiam exemplis ex historia rerum Romanarum sumptis exornavit et magnifice illustravit, quidque iuvenis Romanus, cui ad rem publicam accedere in animo esset, observaret et semper ante oculos haberet, copiose planeque proposuit. in his quoque, ut in ceteris fere omnibus, secutus est philosophos Graecos, Stoicos potissimum, et in I° quidem et II° libro Panaetium, in III° Posidonium [3]. quod ex ipsius verbis (ad Att. XVI. 11. 4) patet: „τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος *quatenus Panaetius, absolvi duobus. illius tres sunt . . . . . eum locum Posidonius persecutus est. ego autem et eius librum arcessivi et ad Athenodorum Calvum scripsi ut ad me* τὰ κεφάλαια *mitteret*“. e quibus quam faciliter

[1] Conf. ad Att. XV. 27. 2.; XVI. 2. 6.; XVI. 3. 1.; Gellius Noct. Att. 15. 6. 1.

[2] Cic. de off. II. 1. 3.

[3] Conf. C. J. Grysar: Prolegomena ad Cic. libr. de officiis. (Coloniae 1844.) C J. Dahlbäck: de officiis Cic. commentatio (Upsal. 1860.)

valdeque venuste hauserit orationemque totius operis sapientibus sententiis et gravibus verbis ornaverit et perpoliverit, documentum sunt incorruptum libri ipsi ab hominibus litterarum studiosis usque ad nostram aetatem diligentissime lectitati[1].

19. De virtutibus libellum eodem anno (44 a. Chr. n.) litteris esse mandatum, paulo vel ante vel post eos, de quibus iam diximus, viri docti ex similitudine argumenti coniciunt. namque in iis quoque Tullius de virtutibus plenissime disputat. sed nihil constat, cum totum opusculum iniquitate temporum interierit.

9.

Quam rationem Cicero in libris de philosophia conficiendis sit secutus.

Enumeratis Ciceronis, quos de rebus quae in philosophia versantur conscripsit, libris, de ratione et modo quo sint confecti pauca dicenda videntur. ac primum quidem Tullium, ne ullus esset locus, qui non Latinis litteris illustratus pateret — id quod de div. II. 2. 4. promiserat — perfecisse atque absolvisse, ex argumentis singulorum librorum, quae supra breviter protulimus, patet. sed cum neque a natura ad singularem philosophiae rationem inveniendam satis se instructum intellegeret et esset id ab instituta ratione vitae alienissimum, non novas veritatis vias sibi pervestigandas nec non modo accurate fundatam verum etiam exstructam disciplinam quaerendam putavit, sed eam rationem sequendam, ut quae alii summi philosophi dixissent atque invenissent, ea eleganter et copiose, more suo, Latinis litteris illustraret.

Itaque in singulis philosophiae partibus, unum vel plures e nobilissimis Graecorum philosophis elegebat, quos in iis quae sibi probarent sequeretur, alia quae digna viderentur pluribus interpretaretur exemplisque novis exornaretur. qua in re ita

[1] Conf. Kühner: de Cic. in phil. m p. 108.; Drumann Gesch. Roms VI. 357.

tamen est solitus versari, ut, in iis praesertim libris, quibus res maioris momenti tractarentur, explicatis principum philosophorum rationibus, in contrarias partes disputaret et quae pro quoque et quae contra quemque dissentientium philosophorum dicerentur proferret. in quo quamquam et erravit ille quidem in multis et multa bene non perspexit, praebuit tamen civibus suis thesaurum, ut quidam dixit, ditissimum, ex quo non modo praecipuas virorum doctorum rationes ac sententias cognoscerent, sed etiam, quae sibi de bonis rebus et malis, de hominum vita et moribus, de ratione civili et disciplina populorum scitu necessaria essent, abunde expromerent. etenim nullius fere sapientis viri, qui quidem nomen invenisset famamque quamdam haberet, praetermisit in libris suis placita aut decreta exponere atque explicare.

Haec fere omnia Ciceronem ex aliorum fontibus hausisse et festiva copia philosophorum, quos in singulis libris secutum esse supra diximus, satis clare demonstrat et viri docti, qui de fontibus e quibus hauserit disputant, iam dudum statuerunt. in quo non est cur vituperetur Tullius, qui, dum in foro et in re publica versabatur, tantum philosophiae temporis tribueret, quantum ab amicorum periculis reique publicae muneribus reliquum esset. quod si duobus vel tribus ad summum ultimis annis philosophiae litterisque totum se dederat, vel in sinum eius potius confugerat, quaerebat ille quidem non novas philosophandi rationes sed levamentum quoddam consolationemque dolorum, quos ei et domestici casus et publici adtulerant acerbissimos. quid quod ille quidem sibi hanc philosophiae laudem nec vindicat nec adsumit? immo vero ad Atticum suum ita scribit (ad Att. XII. 52. 3.): *„dices, qui talia conscribis? ἀπόγραφα sunt, minore labore fiunt; verba tantum affero, quibus abundo“*. atque in alia epistula (ad Att. XIII. 19. 5.): *„sunt enim vehementer πιθανὰ Antiochia, quae diligenter a me expressa acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum, si modo is est aliquis in nobis“*. quibus planissime, quam sibi in philosophia Latinis litteris explicanda viam ac rationem proposuisset, indicavit. acumen enim ingeni arsque praeceptis

perpetuis ordinata atque exstructa, si quae fuit, summorum illorum philosophorum restabat, quam homo Romanus Latine reddebat elegantissime atque politissime.

Quamquam non interpretis eum solum munere functum esse, sed suo iudicio suoque arbitrio e Graecis hausisse, nemo infitiabitur, qui Ciceronis libros cum Graecorum scriptis contulerit. quod ipse quoque suo iure adseverat de off. I. 2. 6.): „sequimur igitur hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos *non ut interpretes, sed ut solemus, e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur hauriemus*". atque in libris de fin. (I. 2. 6.): „*quod si nos non interpretis fungimur munere,* sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus"[1]. quod ut Ciceroni libenter concedamus eum servilem in modum a Graecis scriptoribus non pendere, nusquam tamen Tullium totum fuisse suum in disputando re ipsa scriptisque haud ambigue probatur. et viri docti. qui de veterum philosophia et litteris scripserunt uno ore adfirmant. quorum unius alteriusve verba in exemplum subiciam. scribit igitur Kühnerus, vir doctissimus, in eo libello cui titulus: de M. T. Ciceronis in philosophiam meritis (p. 66.) „Cicero Graecorum vestigiis insistens in ipsis philosophiae mysteriis *nihil novi invenit, sed ea retractavit, quae iam erant in promptu atque parata,* quaeque civibus suis utilissima esse videbantur". a quo non longe discedit alius vir eruditissimus Zellerus, qui in praeclaro illo opere, quod „de philosophia Graecorum" scripsit. (III[1]. p. 575) Ciceronem ubi suis etiam verbis utatur et suo iudicio arbitrioque niti videatur *a veteribus libris ita tamen non discedere* adfirmat. ut eos potissimum describat, aut, ut maxime concedat, retractet. quae est sententia aliorum quoque omnium, qui de Cicerone philosopho disputant, e quibus qui benignissimum se Ciceroni iudicem praebet, Bernardtus in suo libello. quod est „de Cicerone Graecae philosophiae interprete", haec ei tribuit (p. 4.): „multa quae

[1] Conf. Otto Vannucci: Studi storici sulla lett. latina p. 207.

copiosius dicta sunt ab iis, quos secutus est, coartavit, non nulla suo ingenio addidit, alia exornavit rhetorice, rem Romanis exemplis Romanorumque poetarum versibus illustrans".

In his autem ipsis, cum multa raptim litteris consignaret — nemo enim tam brevi tempore tam multa conscripsit — non est mirum, in aliis Ciceronem Graecos philosophos quasi vacillantem sequi, alia obscura vel sibi pugnantia nec bene intellecta proferre[1], quaedam breviter nec satis clare excerpere[2], non nulla postremo perturbare atque permiscere[3], compluribus etiam locis confuse perplexeque loquentis iudicii quamdam levitatem nullamque subtilitatem, inscientiam, imprudentiam, fallaciam, vel in quibusdam saltem malignitatem sunt qui reprehendant[4]. sed longius progressi sunt, arbitror, ea excitati invidia, quae semper fuit optimi cuiusque quaeque Marcum Tullium sua quoque aetate non leviter premebat. nam si quisquam et laudatus et vituperatus immoderate, is Cicero fuit, quem his quoque temporibus alii summis et quasi divinis laudibus in caelum efferunt alii immoderatius id ferentes etiam bene meritis laudibus privatum volunt. qua invidia inducti et scripta et mores hominis, parum constantis in re publica minimeque accurati aut diligentis in philosophia, immoderatius vituperant saepiusque innocentem condemnant[5]. „sed quando mortalium nulli virtus perfecta contigit, qua maior pars vitae atque ingenii stetit, ea iudicandum de homine est"[6]. nobis non defuisse Ciceroni nec civis optimi voluntatem nec scriptoris luculentissimi ingenium videtur. testimonio est mors ipsa, quam pro re publica praestantissimo suscepit animo et libri qui — forte fortuna — magnam partem nobis servati sunt. in quibus, ut alia multa praetermittam, qui scripta Tulli vel oculo veloci, ut dicitur, percurrerit facile intelleget, multa eum eleganter orna-

---

[1] Conf. Madv ad Cic. de fin. II. 35. 50.

[2] Conf. praesertim Madvig. Praef. ad Cic. l. de fin. p. LXX.

[3] Conf. Heine ad Tusc. d. I. 15. 32.

[4] Diels Doxogr. Graeci p. 122; 125.

[5] Conf. Mommsen: Gesch. Roms, passim.

[6] Asinius Pollio (ap. Seneca. Suas. 6. 24.)

teque a philosophis Graecis scripta elegantius ornatiusque exposuisse, alia ieiuna aridaque nitore ubertateque orationis suae exornasse novaque quadam venustate perpolivisse omniaque Romanis hominibus clara perspectaque, ne dicam popularia reddidisse.

Quae quamquam Ciceroni nobilissimi philosophi laudem non adtulerunt, non despicienda tamen sunt, illis praesertim temporibus, cum philosophia summos illos viros iam dudum amiserat. quod si aliorum illius aetatis philosophorum, et Graecorum quidem, scripta exstarent, haud scio an hi ipsi multo meliores copiosioresque invenirentur. Romani certe scriptores, qui vel antea de philosophia oratione soluta scripserant, vel postea de rebus subtilibus quae in ea versantur libros ediderunt, Marco Tullio nequaquam pares exstiterunt, qui de philosophia et de Latinis litteris praeter ceteros omnes est meritus. quod qua via quaque ratione sit consecutus paucis, ut solemus nos quidem, dicemus.

10.

De Ciceronis in philosophiam meritis.

> **Non possum legere librum Ciceronis de Senectute, de Amicitia, de Officiis, de Tusculanis quaestionibus quin aliquoties exosculer codicem, ac venerer sanctum illud pectus, afflatum caelesti numine.**
> **(Erasmus: Colloquia fam. p. 181.)**

Priusquam de Ciceronis in philosophiam meritis dicere instituo, quo res planior fiat, pauca praemonenda videntur. quamquam igitur humanitas litteraeque Graecae iam pridem Romam advenerant multique eas Ciceronis aetate vel utilitatis vel delectationis vel ostentationis etiam causa — docti enim putabantur — colebant, multitudo tamen civium Romanorum ab omni politiore elegantia et doctrina, more suo, etiam tum abhorrebant. nam qui liberaliter educati doctrina ac litteris erant instructi, qui pauci erant, omnes fere vel summo loco

vel maxima in fortuna nati. Graecis et doctoribus et libris utebantur, contemnentes Latinos. cognitionemque litterarum peregrinarum existimationi hominum imperitorum, ut etiam nunc non nunquam fit, venditabant. et quod gravius est, dum ipsi in his exquisitioribus studiis delectationem magnam et iucunditatem invenirent, homines inferiore loco natos, tamquam hac erudita humanitate indigni essent, non solum optimis studiis carere, sed ab iis animis etiam abhorrere facile patiebantur.

Cicero autem, qui et ipse homo novus erat, qui magna cum industria et virtute fortunam sibi fecerat odiumque nobilium subterfugerat[1], in patriam civesque suos singulari amore inflammatus, cum a re publica remotus sua illa ratione civili iam non posset, hac litterarum studiorumque optimorum et sibi ipsi et civibus suis consulere statuit. quibus, re publica oppressa, cum nihil iam quod in ea libere agerent reliquum esset, novus quidam campus aperiendus erat, qui studiis, operis, industriae omnium etiam ex plebe hominum pateret. itaque cum summo abundaret otio studioque novum cursum ad laudem hominibus ingeniosis praebere illamque bene vivendi magistram, „divinarum humanarumque rerum, tum initiorum causarumque cuiusque rei cognitionem", quam adulescens ad oratoriam tantum laudem consequendam coluisset quaeque ad id tempus, praesertim ab hominibus humili loco et fortuna ortis, despecta iacuisset, erigere vitamque ei novam dare animum induxit. aegre enim ferebat vir patriae amantissimus, cives suos tam agrestes etiam tum esse, ut hanc omnium artium procreatricem quasi et parentem non solum neglegerent parumque curarent, verum etiam despicerent atque contemnerent. magnum opus levandae invidiae suscipiendum erat, quae cum insita quasi, ut alio loco diximus[2], atque innata Romanorum animis esset neque unius diei neque unius hominis labore atque opera radicitus aut evelli aut extrahi potuit.

Nam praeter illos nobiles contemptores populi, qui liberales doctrinas et ingenuas, si quae fuerunt, occupatas reti-

[1] Cic. de leg. agr. II. 2. 5.

[2] Conf. p. 7.

nebant, alii, homines, ut putabantur, vere Romani, qui maiorum virtutes atque exempla quam Graecorum praecepta sequi se malle dicerent in reque tantum militari et in civitatis administratione laudem civis Romani sitam esse ducerent[1], multo inimiciores quam isti ipsi doctrinae litterisque se praebebant perficiebantque, quantum in iis erat, ne sapientiae doctrinarumque amor in civium suorum animis facile effloreret, aut in mentibus optimorum studiorum desiderium exoriretur. fuerunt etiam multi, et ii quidem non admodum indocti, qui totum philosophari, etsi non adeo contemnerent, vel saltem id non reprehenderent, si remissius leviterque, quantum necessarium utileque esset, ageretur, verum tamen multum studium multamque operam ponendam in eo non arbitrarentur.

Contra hos omnes dicendum sibi Cicero putavit, praesertim contra eos qui, si philosophiae studere maxime placeret, modestius tamen id remissiusque, quantum ex re esset, fieri postulabant: difficilem enim eos quamdam temperantiam postulare in eo, quod semel admissum coerceri reprimique non posset, rebusque infinitis modum constituere atque — quod gravissimum esset — in re meliore, quo maior esset, mediocritatem desiderare[2]. qua re iustioribus prope modum uti se illis, qui omnino avocarent a philosophia, quam his, qui philosophari posse non negarent, sed paucis, nam omnino non placere.

Qua in re mirum quantum vir magna doctrina eruditioneque praeditus brevi tempore profecit. quoniam enim vir acutissimus, qui cives suos bene novisset, quae summi atque sapientissimi philosophi de re publica bene gerenda, de legibus, de vita et moribus aliisque rebus, quae ad institutionem vitae communis spectant, scripserant, ea potissimum Latinis litteris explicabat, omnibus ad eorum voluntatem accomodatis atque electis, animos civium suorum vehementer movebat. quam enim avide libri eius exspectarentur luculentissimum exemplum exstat ad Att. XIII. 21. 5. quo loco Cicero, postquam de quinto

[1] Conf. Maixner: Historija Rimske Knjiž. p. 51.

[2] Conf. de fin. I. 1. 2.

de finibus libro iniussu suo edito questus est, ita prosequitur: *„mirifice Caerellia studio videlicet philosophiae flagrans describit a tuis: istos ipsos „de finibus" habet.* ego autem tibi confirmo — possum falli ut homo — a meis eam non habere: numquam enim ab oculis meis afuerunt . . . . . tuorum tamen ego nullum delictum arbitror, itemque te volo existimare. a me enim praetermissum est ut dicerem me eos exire nondum velle". omnia enim apte ac distincte, ornate ac polite cum essent exposita nitoreque orationis eius exornata, multorum non solum legendi sed discendi etiam atque scribendi studium facile excitabant[1]. hi omnes Tulli libros, in quibus praeterea aequabile quoddam et temperatum orationis genus esset[2], cum studiosissime lectitarent et magna erudiebantur doctrina et incredibili quodam lepore, quo scripti erant, delectabantur. etenim, magna copia librorum confecta, Cicero cum omnes philosophiae locos philosophorumque rationes Latinis litteris illustrasset, res nondum cognitas Romanis hominibus atque inauditas patefecit novumque mundum, ut ita dicam, nova regna aperuit, in quibus alii rei publicae orbati muneribus, alii aliis oppressi calamitatibus, consolationem ac requietem quaererent, nova amare vetera neglegere discerent, ingenium acuerent veramque atque sanam sapientiam vitae eiusque fontem perennem invenirent. nam cum omnia alia, quae speciem gloriae habent, brevia, fugacia, caduca sint, „haec studia adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur"[3].

Quo factum est ut Tullius suo consilio suoque labore atque industria invidiam optimorum studiorum pro virili parte sustulerit perfeceritque, ut cum rei publicae statu populi quoque ingenium videretur esse mutatum. multi enim iam non solum adulescentes sed etiam provecti aetate viri, quae de philosophia scribebantur non sine delectatione legebant, alii, qui quidem

[1] Conf. de div. II. 2. 5.
[2] Conf. de off. I. 1. 3.
[3] Conf. Cic. pro. Arch. VII. 16.

ingenio se aliquid posse putarent, in iis quae didicissent legendis sibi adquiescendum non putabant, sed, exemplo Ciceronis, ad ipsos Graecos fontes conversi, ut et sibi ipsi pleniorem harum rerum scientiam conciliarent et quae nobilissima esse homineque libero dignissima cognovissent, cum aliis vel scribendo vel disserendo communicarent[1] enitebantur. quorum quod aut maiores fructus aut uberiores non fuerunt, Ciceronis profecto nulla culpa est, qui haec studia illustraverit et excitaverit. quod si tamen fuit, in homines potius conferenda est et in tempora quae, Marco Tullio in his ipsis libris conficiendis edendisque occupato, consecuta sunt. quae cum aliis liberalibus artibus damnosa tum philosophiae maxime studiis fuerunt perniciosa atque exitiosa. ipso enim Cicerone, qui eorum patrocinium susceperat, nefarie impieque interempto, haec studia, aliquam diu extincta, in omne fere tempus perisse videbantur, donec aliquot annis post, constituto atque stabilito imperio Romano, pace terra marique parta, iterum novo splendore reviviscerent.

Sed, ne longius progrediamur, quis est qui eum virum summis non efferat laudibus, qui primus inter Romanos gentem feram philosophiaeque, ut ita dicam, infestissimam atque inimicissimam, optimarum artium doctrinarumque studia excitaverit et dilataverit, eamque etiam laudem e Graecia, quantum in eo fuit, in urbem transtulerit? quod, si iusti esse volumus, in maximis Ciceronis meritis numerabimus; nemo enim Romanorum nec ante nec post ita de philosophia in urbem transferenda divulgandaque est meritus. quam ei laudem, omnes qui de philosophia litterisque Latinis scripserunt una voce tribuunt[2]: cuius consilio et opera non solum novos cultores nancta sit philosophia, sed populum paene totum, cuius imperio orbis terrarum regeretur, conciliatum acceperit, cum ei antea vel inimicus fuisset vel certe non amicus.

---

[1] Conf. de div. II. 2. 5.

[2] Conf. Bähr: Geschichte der Röm. Literatur. III. p. 24.. Tischer: Einleitung zu Cic. Tuscul. disp. p. XI., Vannucci: Studi st. e morali sulla Lett. Latina. p. 207.

Quid quod, tempore progrediente, cum gentes populique universi sedes mutavissent omnesque artes liberales litteraeque, Romano nomine paene extincto, quasi tenebris oppertae iacerent, quem philosophum aut Graecum aut Romanum viri litterarum studiosi, si qui doctrinam veterum sapientiamque cognoscere vellent, potius libentiusque legebant quam Ciceronem, cuius libri doctrinis sapientiaeque veterum praeceptis referti quasi cibus quidam humanitatis toto illo tempore, quod medium aevum adpellant, ab omnibus et expetebantur et multa cum delectatione legebantur? quin etiam nuper, immo vero recentissime, homines docti nostrae aetatis iuvenibus optimarum praesertim artium studiosis magno opere commendaverunt, ut Ciceronis de philosophia libros, qui quasi prooemium ad quamcunque philosophandi rationem possint adplicari, quam diligentissime et studiosissime „nocturna diurnaque manu", ut dixit poeta, versarent[1]. quod quidem haud exiguo est testimonio quantum Cicero etiam nunc de philosophiae studiis dilatandis divulgandisque mereatur.

Atque haec quidem merita Tullius consilio industriaque sua sibi comparavit, alia casu vel potius iniquitate temporum ad eum devenerunt. cum enim, Graecos auctores secutus, omnes fere philosophiae locos Latinis litteris explicaret, quod quisque eorum disputaverat, perpaucis mutatis, Latine reddebat. fuerunt etiam quos ad verbum, ut aiunt, est interpretatus, alios per multa volumina Graeca diffusos epitome circumscripsit. cumque insuper opposita quaeque philosophorum placita, eorum praesertim, qui de rebus bonis et malis de vita moribusque hominum disputassent, recenseret, omnia quae in utramque partem dicta erant diligenter adiciebat in librosque suos suo quaeque loco adsumebat. qua scribendi ratione factum est ut philosophiae, qualis et antea fuit et sua praesertim aetate in Graecia tractabatur, quasi imaginem praeberet et adumbraret. quo quam bene de philosophia meruerit in promptu est. etenim e maxima copia eorum, quae philosophi Graeci conscripserant cum saepe index tantum

[1] Conf. Guiard: de Cic. in cives suos meritis. p. 4., Herbardt: Ueber die Philosophie des Cicero (opera omnia II. p. 170).

rerum nomenque inane ad nos pervenerit, multa sane vel oblivione obruta iacerent, vel — ut est plerumque sors eorum quae veteres philosophi litteris mandaverunt — penitus interiissent, quae summis ingeniis acquisitaque doctrina viri memoriae posteritatique mandavissent, nisi nobis deorum quadam providentia ab homine diligentissimo servata et transmissa essent. unde enim Epicureorum, Stoicorum, Academicorum sententias atque praecepta de maximis rebus cognosceremus, unde universam rationem disciplinamque singularum familiarum disceremus, nisi ea nobis vir doctissimus atque eruditissimus tradidisset in librisque suis fontem quasi reliquisset, unde omnes, qui de veterum philosophia essent scripturi, facile abundanterque haurirent. quod si tamen — ingenue enim est fatendum — in multis parum accúratus vel, dicam enim, etiam obscurus minimeque subtilis fuit, non est profecto propterea vituperandus ille quidem, qui maximis iactatus tempestatibus, senex prope in his studiis conquiscere civibusque suis, quibus occupatus profuisset, otiosus etiam prodesse voluerit. immo vero laudandus nobis est vir ille praeclarus, qui dum oblivionem quaerit dolorum tantam nobis materiam ad utriusque populi philosophiam cognoscendam congesserit congestamque servaverit et reliquerit.

11.

De Ciceronis in linguam Latinam meritis.

Iam vero iis, quae hactenus commemoravimus, longe anteponenda videntur Ciceronis in linguam Latinam merita. quae quanta et qualia fuerint ille recte existimabit, qui cognoverit, quam et rudis et inops sermo Latinus ante Ciceronem fuerit, de cuius egestate iam Lucretius, poeta nobilissimus, his verbis queritur (de rer. nat. I. 136.):

„nec me animi falit Graiorum obscura reperta
„difficile illustrare Latinis versibus esse,
„multa novis verbis praesertim cum sit agendum
„*propter egestatem linguae* et rerum novitatem". atque alio loco (III. 258):

„nunc ea quo pacto inter sese mixta quibusque
„compta modis vigeant rationem reddere aventem
„abstrahit invitum *patrii sermonis egestas*“.

Ita ille quidem, cui more poetarum et inusitatis verbis uti et inauditis licebat. sed quid ego alios profero, cum Tullius ipse apertissime scribat (de nat. d. I. 4. 8.): „*complures enim Graecis institutionibus eruditi ea, quae didicerant, cum suis civibus communicare non poterant, quod illa, quae a Graecis accepissent, Latine dici posse diffiderent*“[1]. in quo non est cur magno opere reprehendantur, cum nondum lingua Latina nec apta esset nec idonea ad res obscuras a sensibusque remotas exprimendas. defuerant enim Romanis — qui illud tantum honestum haberent: aut ipsum res gerere aut ab aliis gestas scribere nec in rebus subtilioribus ac remotioribus tempus consumere vellent — viri eruditi doctique, qui veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad usum moremque suum transferrent patriumque sermonem ad eius modi res exprimendas tractandasque accomodarent et perpolirent. quod si qui fuerunt, Graecis et litteris et doctoribus eruditi, Graeca potius quam Latina legebant, neque, cum patrium sermonem aut delicatissime fastidirent aut rudes omnino in eo essent, in Latinis aut legendis aut scribendis de philosophia artiumque studiis libris operam consumendam esse arbitrabantur.

Qui tamen ante Ciceronem de philosophia soluta oratione scripserunt veluti: Amafinius, Rabirius, Catius Insuber, quo dicendi genere quaque arte usi sint, Tullius ipse aliquot locis indicavit, quorum unum alterumve in exemplum proferam. scribit igitur in libris Academicis (I. 2. 5.): „vides autem .... non posse nos Amafinii aut Rabirii similes esse, qui *nulla arte adhibita,* de rebus ante oculis positis vulgari sermone disputant; nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, *nullam denique artem esse nec dicendi nec disserendi putant*“. atque in Tusculanis disputationibus (I. 3. 6.): „multi iam esse libri Latini dicuntur scripti incon-

[1] Conf. Cic. de orat. III. 24. 95.

siderate ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. fieri autem potest, *ut recte quis sentiat, et id quod sentit, polite eloqui non possit*". (II. 3. 7.): „est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse Latini sane multi libri, quos non contemno equidem, quippe quos numquam legerim; sed quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se *neque distincte neque distribute, neque eleganter neque ornate scribere,* lectionem sine ulla delectatione neglego". nam omnes illi philosophi Epicurei erant, nec, cum rem tantum spectarent non verba, quo modo ea quae tractarent melius aut ornatius dicerent laborabant, quippe quorum magistrum ipsum et orationem et elocutionem ornatam elegantemque contempsisse constaret. quo factum est, ut, quae hi „mali verborum interpretes"[1] litteris mandarent „inculta quaedam et horrida, de malis Graecis Latine scripta deterius"[2], a perpaucis legerentur et iis quidem maxime, ut saepe fit, qui eandem sibi licentiam scribendi permitti vellent.

Cicero contra cum de iisdem novis inusitatisque rebus Romanis hominibus scribere sibi proposuisset, si quid oratoriae laudis his invisis aridisque adferret, recte putabat fore, ut omnium et eruditorum hominum et ineruditorum animi ad eius modi libros legendos facilius adlicerentur. „nobis autem videtur", dicit in secunda Tusculana (3. 8.), „quicquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere". quod, nisi linguam Latinam, quam rudem esse et inopem et ad res subtiliores obscurasque exprimendas parum idoneam noverat, excoleret, augeret, perpoliret, quo modo lectionem cum delectatione praebere posset non intellegebat. quam ob rem homo et exquisita doctrina et singulari patrii sermonis scientia praeditus opus suscepit cum sibi gloriosum tum civibus suis utile, ut linguam Latinam, quae ad id tempus neglecta esset, ad usum rerum quae in philosophia versantur conformaret, novis vocabulis praesertim scientiae et artis locupletaret itaque

[1] Cic. ad fam. XV. 19. 2.
[2] Cic. de fin. I. 3. 8.

perpoliret plenioremque efficeret, ut omnia quae doctissimi philosophi Graece scripsissent ea et plane et eleganter Latine dici possent.

Qua in re Tullium diverso modo esse versatum, qui eius philosophiae scriptiones accuratius legerit inveniet. ac primum quidem, ut exemplo utar, cum ea quae legisset Graece, Latine redderet, non potuit quin *quaedam verba imitando exprimeret*, quae quidem nova civibus suis essent, sed ad Latini sermonis indolem formata et ad eorum similitudinem, quae iam in usu erant, novata[1]. quod ius novandi, quoniam novis rebus nova essent imponenda nomina, recte ille quidem sibi vindicat[2]. sed hanc novandorum verborum rationem habere quemdam modum, ipse bene perspexit et „ne novi verbi assiduitas odium pareret“, ut dixit auctor ad Herrenium quicunque ille fuit (IV. 31. 42.), tantum modo necessitate coactus factis nominibus ac novis verecunde vel potius timide usus est, cum bene intellegeret, usitatis verbis tritisque, si quae modo essent, tutius uti, nova non sine periculo fingi[3]. „verba ponenda sunt“, scribit quodam loco[4], „quae vim habeant illustrandi, *nec ab usu sint abhorrentia,* grandia, plena, sonantia“.

Alia autem vocabula, quae non pauca fuerunt, *transferendo* primus ad philosophiae usum ac rationem fecit idonea. „ergo utemur verbis“, scribit de orat. (III. 37. 142.), „aut iis, quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis, aut *iis, quae transferuntur et quasi in alieno loco collocantur*“. quem transferendi modum ac rationem necessitas gignit, ut ait ipse, inopia coacta et angustiis. qua re quam cautus fuerit in his transferendis vel ex eo intellegi potest, quod, cum vereretur ne novae insolitaeque translationes vel verborum significationes in legentium reprehensionem incur-

[1] Conf. cic. de orat. I. 34. 155., de opt. gen. orat. §. 5. 14.

[2] Conf. de fin III. 1. 3.; Acad. I. 2. 5. ibid. I. 7. 25.; de fin. III. 15. 51.

[3] Conf. quae de hac re pluribus exposuit Bernhardt: „De Cic. Graec. phil. interprete“ p. 6.

[4] part. orat. 15. 5. 3.

*

rerent, quasi veniae petendae causa „ut ita dicam“ vel particulam „quasi“ multis locis addidit, quae ostenderet, quam invitus ille quidem faceret, ut diceret insolite[1]. ac duplici quidem modo in hoc genere de patrio sermone est meritus. primum enim eorum verborum quae iam translata in usu erant, sed nondum satis trita, vim et significationem acuit ad resque novas et incognitas accomodavit. alia rursum, quae necessaria videbantur, primus in philosophiae usum transtulit atque convertit. „quod enim, declarari vix verbo proprio potest, in translato cum est dictum illustrat id, quod intellegi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo. ergo haec translationes quasi mutationes sunt, cum, quod non habeas, aliunde sumas“[2].

Iam vero ad res spinosiores subtilioresque cum nulla subsidia in patrio sermone inveniret, vocabula artis rerumque, quas Graeci et invenerant et nominaverant ita non est aspernatus, ut potius obscurus fieret, quam iis quia Graeca essent, uteretur. immo vero, quoniam in scribendo perspicuitatis in primis haberet rationem. ad quas res lingua Latina idonea aut apta verba non offerebat, eas ad melius distinctiusque exprimendas *Graeca vocabula usurpare* nullus dubitavit. quod nemini sane mirum videbitur, qui cognoverit, quanta copia Graecarum vocum earumque ne necessariarum quidem iam ante Ciceronis aetatem in urbem invasisset. cuius rei testimonio fide digno ipsius Marci Tulli epistulae sunt, quae familiari sermone, ut fit, scriptae, Graecis et vocabulis et sententiis sunt refertae. quamquam quod in epistulis sibi licere arbitrabatur, id in libris tantum aberat ut probaret ut reprehenderet eosque, qui in accipiendis adhibendisque verbis peregrinis ornamenta quaererent orationis, vehementer vituperaret. qua de re ipsum loquentem proferemus (de off. I. 31. 111.): „sermone eo debemus uti, qui innatus est nobis, ne, *ut quidam, Graeca verba inculcantes, iure optimo rideamur*“. atque alio loco (Tusc. disp.

---

[1] Conf. Cic. de fin. III. §. 21.: Tusc. d. II. 3. 11.; de nat. d. I. 113. de orat. III. 186.; de fin. IV. 72.; Madvigius ad hunc locum, Kühner ad Tusc. d. II. 3. 11. Bernhardt l. c. p. 11.

[2] Cic. de orat. III. 38. 155.

I. 8. 15.): *„scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere quam in Graeco Latine“.*

Hac quoque in re Tullium probabilem modum et mediocritatem illam auream tenuisse, cum alii viri docti tum nuper Naegelsbachius, Latini sermonis vir peritissimus, recte monuit[1]. nam in orationibus, iis praesertim quas ad populum habuit, quoniam omnia ad opinionem communem ac popularem accomodare volebat linguamque ipsam Graecorum ne nosse quidem se dissimulare. Graeca vocabula non facile inveneris. quod si quae reperiuntur, in iis potissimum occurrunt, quas apud homines doctiores harumque rerum non imperitos audacius liberiusque dicebat, veluti, ut uno exemplo utar, in Verrinis, in quibus compluribus locis, cum res Graecas artesque Romanis incognitas tractaret, non potuit quin eas Graecis etiam nominibus adpellaret. in libris autem, quos de philosophia propria, ut aiunt, confecit, plus sibi licere iure optimo existimavit, cum et res novas explicaret nec perverse aut ridicule dicere vellet. quod nemo sane reprehendet, si cum animo consideraverit, hos et ad eruditorum hominum usum potissimum scriptos esse libros et omnium artium ac linguarum hoc esse commune, ut rerum novarum nova nomina aut facerent, aut, ut fit etiam nostra aetate, quae multo est difficilior in eius modi rebus ac suspiciosior, ex aliis sumerent. idque eo magis concedendum erat Ciceroni, qui primus inter Romanos res cognitionesque nec usitatas antea nec perceptas soluta oratione digno modo tractaverit. quamquam in his omnibus eam sibi rationem tenendam proposuisse putandus est, ut Latine loqui quam maxime conaretur, quod si non posset, verba, quibus iam consuetudo uteretur pro Latinis, adhiberet, postremo si huiusce modi verba nulla omnino essent, necessitate coactus angustiisque ad Graeca confugeret.

Quae cum homo utraque lingua doctissimus diligentissime et ingeniosissime facere non intermitteret, magna copia librorum conscripta, ita patrium sermonem ad philosophiae usum accomodavit verbaque rebus aptavit, ut nihil iam esset a Graecis

[1] Nägelsb. Lateinische Stilistik. p. 17. (ed. 1870.)

aut disputatum aut litteris mandatum quod Latine non posset et apte et polite dici. qua in re licuit illi quidem gloriari (de nat. d. I. 4. 8): *„quo in genere tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur“*. quam laudem linguae Latinae et locupletatae et perpolitae omnes viri docti, qui de Latinis litteris libros ediderunt, Marco Tullio summo consensu tribuunt. nam quod ipse gloriosius quam verius dixit, Latinam linguam non inopem esse, ut vulgo putarent, sed locupletiorem etiam quam Graecam[1], id quam falsum sit et a nimio patrii sermonis amore profectum, vix est quod dicam, cum neque Tullius ipse in hoc sibi constet[2], et eius tandem hoc maximum meritum esse noverimus, qui suo studio suaque mira industria perfecerit, ut sermo Latinus aeque copiosus videretur esse ac Graecus linguamque, quam inchoatam, ut ita dicam, accepisset, perpolitam perfectamque reliquerit.

12.

Utrum Cicero philosophi nomen meruerit necne.

Magna responsi invidia subeunda est.
Quintil. XII. 1. 14.

Pertractatis omnibus, quae in Ciceronis philosophiae studiis tamquam notanda atque animadvertenda videbantur, restat, ut quaestionem, iurene Cicero philosophus appellandus sit et appelletur, breviter adtingamus finemque nostrae commentationi, quae longius quam voluntas fuit provecta est, faciamus.

Sunt igitur, qui philosophi notionem nimis artis terminis circumscribentes M. Tullium a philosophorum choro plane seiunctum velint, quippe qui, nec ullam novam philosophandi rationem invenerit nec incognitas prius aut rerum naturas aut veritatis vias patefecerit, sed Graecorum tantum sententias converterit et descripserit[3]. quod ut ingenue concedamus et Cice-

[1] de fin I. 3. 10. ibid. III. 15. 51.
[2] Conf. Tusc. disp. II. 15. 35., de fin. III. 2. 5., pro Caec. 18. 51.
[3] Conf. Guiard: De Cic. philosophi in cives s. meritis. p. 4.

ronem maximam partem in libris quos de philosophia confecit non esse suum fateamus, in hac tamen re aequi esse debemus. etenim si quis in viro, qui in re publica tantum versari proposuerit in eaque excellentius se gerere studuerit, qui eloquentissimus suae aetatis et esse — sicut fuit — et haberi voluerit, qui temporum iniquitate necessitateque coactus senex prope ad philosophiam confugerit, novam quamdam scientiae rerumque incognitarum pervestigationem propriam atque suam requirit, temere ille quidem facit, cum rem, quae neque fieri possit neque in tali viro sit expetenda, desideret atque postulet. nisi forte ignorat, philosophiam eamque praesertim, quae in rerum pervestigatione atque contemplatione maxime versetur, nisi omnes nervos contendas semperque adsis animo diligentissimo et attentissimo, aut nullam omnino esse posse, aut non eam profecto, quae summorum philosophorum opera conficiat. quod si in suo quemque opere artificem, qui quidem excellat, nihil aliud cogitare, meditari, curare oportet, nisi quo sit in eo genere melior[1], quanto magis philosophus, qui in rebus a sensibus remotis versetur, in iis haerere in easque toto pectore, ut aiunt, incumbere debet; totum enim hominem et animo et corpore doctrinae studium expetit et occupatum tenet[2].

Quod ii profecto oblivisci videntur, qui, nulla nec hominis nec temporis ratione habita, Ciceronem cum summis illis philosophis: Platone, Aristotele, aliis, qui omnem suam vitam in eius modi studiis consumpserant, comparant eiusque scriptiones ad horum philosophorum opera diiudicant. quod quam recte faciant ipsi viderint. M. Tullius certe neque hoc suscepit, ut novam quamdam in philosophia rationem inveniret, neque usquam magnis illis viris ausus se est dicere aequalem. quid

[1] Conf. Cic. de re p. I. 22. 35.

[2] Conf. quae de eadem re scribit Herbardtus, recentioris aetatis philosophus nobilissimus (opera omn. II. p. 170.). nam quod Mommsenus Varronem adferens scribit (Röm. Gesch. III. p. 590.): „das Philosophieren ist wahrlich keine Kunst; mit dem zehnten Theil der Mühe womit der Herr den Sklaven zum Kunstbäcker erzieht, bildet er selbst sich zum Philosophen“, nugatur ille quidem non inscite.

quod, quamvis eum gloriae nimis cupidum fuisse dicunt[1], in tanta copia librorum, quos de rebus, quae ad philosophiam pertinent, confecit, nusquam se ille quidem, nisi per iocum, philosophum nominavit?

Sed non opus est hoc loco litibus, tantum quaerere placet, ex iis, qui notionem philosophi tam angustis terminis definientes Ciceroni acres se iudices praebent, si Tullium, qui novam philosophandi rationem disciplinamque nullam invenerit, non existiment dignum, qui philosophi nomine ornetur, quotus quisque futurus sit ex tanta philosophantium multitudine, quem iure ita adpellare liceat? quod si tamen alii, qui, nobilissimorum philosophorum rationibus praeceptisque bene cognitis, quid in iis verum quid falsum sit suo iudicio decernunt et res, quas ab illis didicerunt, suo arbitrio diiudicant atque explanant, philosophi et adpellantur et habiti sunt, non intellego quam ob rem M. Tullium hac laude quisquam privatum velit et, si minus illa subtili definitione, at vulgari communique philosophum non appellet, qui et ipse multa genera dissentientium philosophorum contulerit quaeque nobilissimi sapientissimique eorum docuerant, et diiudicaverit et suo iudicio arbitrioque exposuerit et explanaverit? in quo quantum profecerit nihil dico, aliorum id iudicium; primus certe philosophiam in urbem transtulit eiusque invidiam pro virili parte levavit, praeterea multa, quae, nisi homo eruditissimus in libros suos accepisset, penitus interissent, nobis conservata transmisit, linguam postremo Latinam vocabulis novis philosophiae et artis et scientiae locupletavit locupletatamque ad alia conformavit, ad alia accomodavit, ad omnia perpolivit et exornavit. quae M. Tulli philosophi immortalia merita, mea quidem sententia, ab omnibus, qui vel exquisita philosophorum doctrina tenentur vel polita elegantia litterarum delectantur, semper ingenue liberaliterque et agnoscentur et laudentur.

---

[1] Conf. quae ipse ad Atticum scripsit (I. 15. 1.): „nunc quoniam et laudis avidissimi semper fuimus . . . .“

INDEX.